

PHILIPPI BONAMICII OPERA OMNIA: 2. PHILIPPI BONAMICII...

Filippo Buonamici






Sic propriis otiis
consuluit Anno 1757

PHILIPPI BONAMICII

OPERA OMNIA.

PHILIPPI BONAMICII

SCRIPTORUM

PARS ALTERA

QUA

DE VITA INNOCENTII XI. P. M. COMMENTARIUS
TUM ORATIONES ET EPISTOLÆ
DEMUM CARMINA, ET INSCRIPTIONES

CONTINENTUR.





LUCÆ MDCCLXXXIV.

Typis JOSEPHI ROCCHII
CENSORIBUS ADPROBANTIBUS.

JOSEPHI ROCCHII TYPOGRAPHI

PRÆFATIO.





Agna doctis viris opinio semper fuit, plurimum inter sese Poetas, & Oratores distare: Ut qui bonus esset Orator, Poeta item bonus vix esse posset. Namque illud minus probatur Carmen, quod solutam redolet orationem: Rursusque Oratio, quæ Poetarum numero & imaginibus plus justo distincta appareat, teretes offendit aures. Quod ita esse, experientia etiam confirmare videbatur. Qui enim apud veteres summi extiterunt Oratores, eosdem vix probabiles Poetas fuisse scimus: Et rursum qui optimi fuerunt Poetæ, eos nihil memoratu magnoperè dignum, soluto sermone scripsisse novimus. Cum autem ab iis temporibus, quibus linguæ cujuslibet quasi ævum circumscriptum intelligimus, longè recessum est, tum si qui utrá facultate excelluit, magnæ id laudi jure optimo da-

tur; quod autem quis utraque floruerit, vix credibile videtur. Neque verò illud mihi sumo, ut tantam laudem PHILIPPO BONAMICIO *tribuendam meo judicio pronunciare audeam. Sed quoniam quæ priore volumine edita sunt satis docuerunt, quanto ille opere latinè eloquens fuerit; hoc volumine altero latinis item versibus quantum posset, satis superque demonstratum iri puto: Ut doctorum hominum in re gravissima & difficillima judicium esse debeat. Certe cum ejus Carmina, quæ nunc primùm omnia in lucem emittuntur, attentè considero, si minus hæc cum illis, quæ a veteribus summis viris condita fuerunt, comparare mihi fas puto, cum iis certè, quæ a Bembo, a Naugerio, a Fracastorio, a Flaminiis, aliisque nostrorum, ut ita dicam, temporum Poetis nobilissimis sunt edita, jure ac merito censemus conferri non modò posse, sed verò etiam debere.*

Priorem autem in hoc Volumine altero locum obtinet Commentarius de Innocentii XI. P. M. Vita, uberiùs ille quidem, sanèque eleganter conscri-

scri-

scriptus; quem anteit Epistola luculentissima ad Pium VI. Pontificem Maximum. Tum habentur Orationes & Epistolæ, non numero quidem, sed eloquentiâ præstantes. Sunt enim Orationes omnino tres, latinæ quidem duæ, hetrusco tertia sermone habita: Sed eas qui legerit, vix ullam nostrâ, vel patrum nostrorum memoriâ recitatam uspiam fuisse dixerit Orationem, quæ his præferri debeat. Sequuntur Carmina & Inscriptiones, quas PHILIPPUS BONAMICIUS *vel in suam, vel in amicorum rem identidem faciebat. De hisce omnibus satis multa dicta sunt a Jo. Bapt. Montecatinio, qui hæc dictabat, dum* PHILIPPI BONAMICII *Vitam describeret, ut plura hîc addere non sit necesse.*

Extremas paginas tenet Index Rerum Memorabilium, quæ in volumine continentur.



In primo Volumine hæc continentur.

In Volumine altero hæc continentur.

PHILIPPI BONAMICII
DE VITA
INNOCENTII XI. P. M.

II

PIO SEXTO

PONTIFICI MAXIMO

PHILIPPUS BONAMICIUS

F. P.



UM dudum ii, qui apud me & benevolentia, & beneficiis, & dignitate plurimum poſſunt, id mihi oneris impoſuiſſent, ut in Cauſa Canonizationis VEN. SERVI DEI INNOCENTII XI. Poſtulatorem, uti vocant, agerem, neque ego fas ducerem eorum auctoritatem aſpernari, negligere voluntatem; ſtatim eo animum & cogitationem meam omnem contuli, ut ſuſcepti vel recepti potius muneris partes accu-

rate

rate implerem, & propterea illud imprimis ſpeſtari oportere cognovi, ut Scriptores, ſiqui eſſent, qui ejuſdem vitam diligenter ordinateque expoſuiſſent, conquirerem, atque perluſtrarem. Hoc enim fundamento poſito totius rei cognitio, & quaſi æſtimatio innititur. Quum autem intelligerem, nihil de illo eſſe literis proditum, dignum ut iterum legatur; exiſtimavi deberi hoc a me & cauſæ ipſius neceſſitati, & aliorum expectationi, & meæ ſtudio pietatis ergà tanti Pontificis memoriam; ut quæ ab illo præclare, ac divinitus geſta ſunt, complecterer, &; quantum ego poſſem, a ſilentio, ac tenebris vindicarem. Id quidem ſtudioſiſſime facere hoc perbrevi Commentario conatus ſum: quumque res eo loci perducta eſſet, ut propediem in manus hominum emitteretur; percommode accidit, Beatissime Pater, ut hoc interim tempore una omnium Patrum voce atque ſuffragiis, ſummaque Univerſi Chriſtiani Orbis gratulatione atque lætitia ad ſummum Eccleſiaſticæ amplitudinis faſtigium evectus ſis.

O-

Omnes enim me ſtatim cauſæ impulere, ut hunc Commentarium Tuo fauſtiſſimo Nomini conſecrarem. Neque jam vereor, ne quis me reprehendendum putet, quod ea afferam, quæ his temporibus ac moribus minus accommodata eſſe videantur. Nihil enim inanem vulgi reprehenſionem reformidans in Te uno acquieſco, & quamquam Tibi uni ſcripſerim, egregie tamen operam collocaſſe meam, uberrimoſque laborum meorum fructus cœpiſſe nunquam non arbitrabor. Sane haud dubito, quin hæc Tu ſis aliquando ac perlubenter lecturus, non quod ita ſcripta ſint, ut Virum Principem in omnium optimarum artium ſtudiis diu multumque verſatum allicere ad legendum poſſint, ſed quod, quamquam ſtili elegantiam non contemnas, tamen gravitate rerum, ac ſanctitate maxime duceris. Itaque hæc INNOCENTII XI. Vita, etiamſi neque ſuis picta coloribus, neque ſatis eleganter expreſſa, ſed leviſſime adumbrata videri poſſit, ea tamen complectitur, quorum exemplo jam a Te ſuſceptam

be-

bene gerendæ Reipublicæ rationem confirmes, easque ad imitandum virtutes proponit, quibus hoc potissimum tempore Summum Pontificem instructum ornatumque esse maxime oporteat. In eo enim mirum quoddam Religionis studium eminere videtur; cujus quidem studii neminem profecto latet, Te, vix renunciatum Summum Pontificem, in ipso illo augustissimo consessu edidisse documenta maxima, quum quodam divinitatis instinctu abreptus, Te conceptis verbis communi saluti devoveris, nefariis Religionis hostibus bellum sempiternum indixeris, atque ad idem bellum Universos Patres eloquentissimæ orationis vi excitaris. Ecquis enim justo dolore sibi incendi animum non sentiat, in hac effrænata perditissimorum Scriptorum licentia, qui nihil aliud agere, nihil moliri videntur, nisi ut non modo subducatur succus & sanguis, sed forma & species ipsa Catholicæ Religionis omnino deleatur? Contra quos pulcherrime prodiisti in aciem, Divinæ vocis gladio armatus, quasi alter Apo-

stolorum Princeps, quem Tu incredibili quodam amore cultuque ſemper es proſequutus, & a quo, mea quidem ſententia, Te maximopere diligi hæc ipſa, quam nuper adeptus es, ſumma dignitas ſatis aperte declarat.

Cogitanti enim mihi, quæ potiſſimum res ad ſummam amplitudinem Tibi præſidio fuerint, ſtatim quidem obverſatæ ſunt animo plurimæ illæ maximæque virtutes Tuæ, quæ ut etiam multo gratiores eſſent, mira quædam morum ſuavitas acceſſit, ac natura ipſa pulcherrimo animo domicilium plenum dignitatis attribuiſſe videtur. Sed, vere ut dicam, ſicut Tibi, Pontifex Maxime, propter excellentiam ſingularem animi Tui nihil gratius eſt, quam vera laus, ita nihil odioſius, quam turpis mendaxque adulatio. Dabis igitur veniam, ſi libere dicam, hæc virtutum præſidia ita Tibi propria non fuiſſe, ut non eſſent etiam aliis communia, quorum tamen in auguſtiſſimis illis Comitiis ratio habita non eſt. Illud vero commune Tibi cum pauciſſimis fuit, ac plane ſingulare,

ſum-

ſumma veneratio, frequentior cultus, atque incredibilis erga Beatiſſimum APOSTOLORUM PRINCIPEM ardor pietatis: quæ quidem res neſcio quid majus ſignificare ac portendere ſemper mihi viſa eſt, quam vulgo homines arbitrarentur. Neque plane dubito, quin ea obſequia, præſertim cum ſumma vitæ integritate dignitate modeſtia, cum ſumma rerum gerendarum ſcientia, cum ſummo æquitatis ſinceræque Religionis ſtudio conjuncta, peculiare quoddam APOSTOLORUM PRINCIPIS patrocinium demeruerint. Ille profecto Te ſibi Succeſſorem delegit, ille effecit, ut Chriſtianis Regibus eſſes acceptiſſimus, ut gratiſſimus cunctis Patribus, ut quamquam non provecta ætate ſenioribus, quamquam recens inter Cardinales cooptatus multo antiquioribus anteferreris; ut denique omnium votis ſententiis ſuffragiis ad Summum Pontificatum vocareris. Illo autem auctore, illo duce, Te Chriſtianam Rempublicam gerere ipſa Tui Pontificatus initia ſatis ſuperque declarant. Perge BEATISSIME PATER illius

lius Pontificis, cui Ecclesiæ primum cura a Deo tradita est, & consiliis uti & exemplis. Perge illius constantiam fidem Religionem imitari; quarum quidem virtutum eo minus difficilis imitatio videbitur, quum vetera illa exempla ab INNOCENTIO XI. nostris fere temporibus renovata atque expressa fuisse perlegeris.

Quod extremum est, sine, Beatissime Pater, ut in hujusce Opusculi inscriptione extet aliquod grati animi erga Te mei indicium ac testimonium. Equidem me Tibi plurimum debere lubentissime fateor. Hæret enim, hærebitque, dum vivam, infixa animo illius diei memoria, cum me peramanter complexus interruptum latinas scribendi literas munus iterum capessere jussisti; magnumque beneficium & dandi celeritate & verborum benignitate majus etiam reddidisti. Quid, quod paucos post menses insigni Lateranensis Ecclesiæ Canonicatu auctum ornatumque esse voluisti, ac tanto & tam properato præmio, antequam quicquam Tibi operæ & famulatus præstitissem, liberali-

ter

ter affeciſti? Nihil mihi arrogo; neque enim debeo, quum probe norim tenuitatem meam. Sed tamen non poſſum non commoveri tam præclaro Tuo de me judicio, quod erit mihi ſemper honorificum, & quo ut non indignus videar, diligentiſſime curabo.

PHI-

PHILIPPI BONAMICII
DE VITA
ET REBUS GESTIS
INNOCENTII XI.
PONTIFICIS MAXIMI.



Ovocomum nobilis eſt, perveteuſque Inſubriæ Civitas, in qua Gentem Odeſchalchiam a primis uſque Regum Langobardorum temporibus ſumma nobilitate floruiſſe, & Annales Novocomenſium, & monumenta vetuſtatis loquuntur. Sed, ne vetera colligam, ſicut nobilitatis opinionem una plerumque excitat, & tuetur admiratio divitiarum, ita quidem plane conſtat, ad eam Familiam ſuperiore ſæculo divitias ingentes, ac prope regias non tenui, ac ſordida, ſed liberali, & ſplendida ratione quæſitas, perveniſſe. Cæterum hujus Civitatis, ac Gentis gloriam mirum in modum auxit, cumulavitque BENEDICTUS ODESCHALCHIUS, cujus vitam, atque res geſtas latine ſcribere aggredimur.

Is Novocomi natus est generosis, piisque parentibus Livio Odeschalchio, & Paula * Castellia, quibus nihil fuit antiquius, quam ut optimis moribus imbueretur, atque ad omnes informaretur artes, quibus nobiles pueri erudiri solent. Neque vero ille tam diligenti parentum culturæ non apprime respondit. Adhuc enim puer non adumbrata, sed expressa edidit futuræ sanctitatis indicia. Etenim cum semper a ludicris rebus maxime abhorruit, tum nullis virtutibus caruit, quæ illam ornant ætatem. Summa vero illius pietas in Deum, Divinamque Matrem ita elucebat, ut æqualibus incitamento esset ad imitandum. Illud autem omnino singulare, quod quamquam vultu, ac totius corporis habitu virginalem quamdam verecundiam præseferret, tamen generosum & vitæ contemptorem animum gereret, atque in ipso adolescentiæ flore nihil vehementius cuperet, quam militiæ nomen dare, ut cum teterrimis hostibus Christiani nominis Turcis, qui id temporis in novas Europæ Provincias impetum fecerant, aut fœliciter depugnaret, aut fortiter vitam pro Chri-

stia-

* Hæc Paula Nicolai Castellii, & Juliæ Joannelliæ Bergomatum Filia Sororem habuit Cæciliam fœminam sanctissimam, quæ nupta Benedicto Joannellio Bergomati, deinceps in nobilitatem Reip. Venetæ adscito, mater fuit celebris Joannis Andreæ Joannellii, qui militari laude floruit, & in Hungarico bello adversus Turcas diem extremum obiit. Hæc origo est necessitudinis, quæ Odeschalchios inter & Joannellios Patritios Venetos intercedit.

ftiana Religione profunderet. Sed huic voluntati fortaffe parentum voluntas repugnavit. Falſo igitur a pluribus Hiſtoricis, pleriſque tamen Gallicis, memoriæ proditum eſt, illum five in Polonia, five in Gallia, ſive alibi ſtipendium meruiſſe. Interrogatus enim hac de re jam grandis natus Odeſchalchius, præciſe negavit, ſe ulli unquam militiæ nomen dediſſe, præſertim quum ſi dediſſet, nunquam ei ſacris Ordinibus imbui licuiſſet, niſi bona cum venia Romani Pontificis publico monumento conſignata. Cujus quidem monumenti nullum exemplum, veſtigium nullum. Et tamen relatum eſſe oportuit (ſi fuiſſet) in acta legitimæ Inquiſitionis, quam in ejus vitam & mores diligentiſſime factam fuiſſe conſtat.

Hoc tamen loco prætereundum non eſt, quæ cauſa illi fuerit e patria proficiſcendi. Erat clarum Odeſchalchii in Civitate nomen, erat is apud omnes ordines gratioſus, & eo quidem acceptus, quod ad illius facilitatem ſumma gravitas morum, & vitæ innocentia acceſſerat, dictorumque & factorum fides atque conſtantia; quo fiebat, ut perſæpe, licet juvenis, in publicis privatiſque negociis conſuleretur. Ventum igitur ad ipſum eſt, ut capitalem inimicitiam, quam duo primarii Cives inter ſe exercebant, quamprimum componere pro ſua ſapientia ſtuderet. Rem arduam, atque difficilem perlubenter ſuſcepit Odeſchalchius, perfecitque, ut duo illi inimici, immani odio depoſito, mutuo in gratiam rediiſſe viderentur. Sed dum maxime pax conſtituta videbatur;

alter ex illis opportunitatem nactus, qua veterem adversarium impune adoriri posset, fidem fefellit. Cujus rei indignitate commotus Odeschalchius sensit, se ad ulciscendam injuriam acrius incendi, quam deceret Christianum hominem. Ut itaque moderaretur iræ, quæ ad perfidi hominis præsentiam vehementius effervescebat, decrevit, etiam ex amicorum ac propinquorum consilio, aliquandiu carere patria.

Primum itaque Romam venit, mox Neapolim profectus, literis impensius operam dedit, atque in sacro, civilique Jure cognoscendo ita diligenter versatus est, ut non multo post publicos honores, laureamque consecutus sit. Deinde Romam reversus est ea mente, ut in Urbe tanquam in sinu Religionis, quam unice colebat, privatus vitam tranquillam, quietam, & remotam ab omni ambitione traduceret. Sed ejus consiliis Fratris natu majoris benevolentia, atque liberalitas obstitit. Is enim Benedictum hortari cœpit, ut ad amplissimos Ecclesiasticæ Reipublicæ honores animum adjungeret. Romam enim eam Urbem esse, quæ sola peregrinam virtutem ascisсit, excipit, ornat honoribus, sola dominam facit rerum omnium humanarum, nullum esse honestiorem laborem, quam qui pro Catholicæ Ecclesiæ bono susciperetur. Memoraret majores suos summis in Romana Ecclesia honoribus usos, præsertim Thomam Odeschalchium Episcopum Viglevanensem, & Franciscum, qui a Pio IV. Pontificio ærario præfectus fuerat,

quo-

quorum exempla ſequi & ipſi, & Familiæ univerſæ decorum foret. Sed quum id Frater Fratri perſuadere non potuiſſet, ad Franciſcum Paravicinium amicum ſuum, tum Romæ commorantem, literas dedit, ut conſpicuum aliquod civile munus, quod nonniſi Aulæ Romanæ Præſules obire ſolerent, Fratri quamprimum compararet: pecuniæ vero ne parceret: quicquid autem in eam rem impenſum fuiſſet, ſe quantocius præſtiturum. Amico morem geſſit Paravicinius, ac non multo poſt rem confecit. Tum demum ceſſit Benedictus amantiſſimo Fratri, non tam ne propoſiti ſui nimium tenax deſidioſum otium honeſto labori anteferre videretur, quam (ut ego arbitror) occulta quadam mentis vi, ac potius immortalis Dei inſtinctu, qui conſilia hominum eo dirigit, quo ipſi minus putant. Ergo honorum ille curſum ingreſſus eſt, quem neſcio majore ne virtute, an celeritate perfecerit. Anno enim ætatis ſuæ undetrigeſimo jam vertente primum inter Romanos Præſules cooptatur *. Anno trigeſimo quarto ineunte renuntiatus eſt Cardinalis. Neque tamen illi, etſi fœliciſſimus videri potuit, ſuper fortunam virtus, atque induſtria non fuit. Nullum enim interea tempus præteriit, quo non aliquid geſſerit memoratu dignum; atque illius opera non magno Reipublicæ uſui ſtatim fuerit.

* h. e. Prothonotarios.

Orta erat ſub idem tempus h. e. anno reparatæ ſalutis MDCXL. Odoardum Farneſium inter, & Cameræ Apoſtolicæ Adminiſtros magna diſcordia, quæ vehementi contentione utrinque agitata, in apertum bellum eruperat. Quod bellum cum juſtum ab Urbano VIII. Pont. Max. exiſtimaretur, & ad tuendam Pontificiam Ditionem neceſſarium: Ærarium autem exhauſtum eſſet; nova, eaque graviſſima vectigalia in ſingulis Provinciis conſtituta ſunt: Odeſchalchius autem cum extraordinaria poteſtate in Picenum miſſus eſt, ut imperatam pecuniam quamprimum a Picentibus exigeret. Acerbiſſima procuratione mirum dictu eſt, quam non acerbe perfunctus ſit. Neque enim ſibi imitandos cenſuit Aulicos illos, qui nullum certius breviuſque compendium ad gratiam Principis promerendam novere, quam ut illi pecunia undeunde affatim ſuppetat, ſed dum novas perpetuo comminiſcuntur augendi Ærarii rationes, ſpecioſo communis boni nomine, eas ad privatæ avaritiæ prædam, non ad publicam utilitatem conferunt. At Odeſchalchius maximam quidem publici Ærarii, ſed aliquam etiam populorum rationem habendam eſſe duxit. Quapropter quum diu multumque expendiſſet, quid illa Provincia oneris ferre valeret, quidve recuſaret, planeque intellexiſſet, ultra vires ſortemque illius Provinciæ pecuniam efflagitari, nunquam induci potuit, ut ad totam imperatæ pecuniæ ſummam redigendam vi atque auctoritate abuteretur. Quamquam autem Cardinalis Barberinius

nius ea de re ſæpe ſcriberet, inſtaret, urgeret, ille cunctari, moras nectere, ipſum denique Summum Pontificem de populi inopia de Provinciæ ſtatu certiorem facere. Quæ res toti Piceno ſaluti fuit. Summus enim Pontifex a tanto viro de rei veritate certior factus, ſtatim juſſit, ut quicquid adhuc perſolutum non fuiſſet, illi Provinciæ remitteretur: atque Odeſchalchius ampliſſimum humanitatis ſuæ fructum cœpit; nam neque Principis gratia poſtea caruit, ac Picentum omnium benevolentiam, atque exiſtimationem promeruit. Difficillimo hoc munere perfunctus, non multo poſt juſſus eſt univerſæ illi Provinciæ cum imperio præeſſe, de qua jam optime meritus fuiſſet. Quo in Magiſtratu ita ſe geſſit, ut ad ampliores honorum gradus Romam vocatus fuerit, atque inter eos Præſules * cooptatus, qui a Cardinalatu proxime abeſſe ſo ent.

At Innocentius X. qui Urbano VIII. in Pontificatu ſucceſſerat, quum primum redeuntem Romam Odeſchalchium vidiſſet, peramanter complexus, nunc ſane opus eſt, inquit, ut illius amplitudini ſtudeamus, qui tam egregia fide Pontificiæ Ditionis bono, ac fœlicitati hactenus ſtuduit, eidemque mox fidem ſolvit. Obſtabat optimæ Principis voluntati Olimpia Maidalchinia potentiſſima fœmina, cujus precibus nihil Innocentius negatum velle dicebatur, multaque moliebatur apud Levi-

* h. e. inter primarios Cameræ Clericos.

rum Pontificem, ut alter, cui illa maxime favebat, Præſul eum obtineret dignitatis gradum, quem nihilominus Innocentius ad Odeſchalchium detulit, ac poſt dies non plus quadraginta ipſum etiam inter Cardinales cooptavit.

Sed quamquam Odeſchalchius non ſane vafre, non cupide, non malitioſe ad hunc honorem obrepſerit, ſed eo pervenerit curſu, qui ſemper optimo cuique patuit; idemque Pontifex teſtatus ſit, ſe illius perſpectæ virtuti, non ambitioni præmium dediſſe; ipſam denique Olympiam certum, exploratumque ſit, illius amplitudini obfuiſſe potius, quam profuiſſe: tamen inventus eſt Sycophanta quidam neſcio cujus Ephemeridos auctor, qui ſcripſerit, Odeſchalchium ſeſe in Olympiæ gratiam callidiſſime inſinuaſſe, ejuſdemque opera Cardinalatum eſſe conſequutum. Quum enim, inquit, Olympia, & Odeſchalchius una ſimul alea luderent, hic quaſi victus non mediocris pecuniæ jacturam fecit, quamvis revera victor extitiſſet, fore ſperans, ut rei veritate a conſciis ſpectatoribus Olympiæ renunciata, ſua in ipſam liberalitas maxime commendaretur.

Neque huic fabellæ diſſimilis eſt narratiuncula altera de argentea ſupellectile, miro artificio elaborata, quam Odeſchalchius magno pretio emiſſe dicitur, & Olympiæ dono dediſſe, poſteaquam ſubodoratus fuerat, eandem fœminam, etſi illius comparandæ cupiditate incenſam, tamen noluiſſe tanti emere, quanti venditor popoſcerat. Sed hujus tantæ

mu-

munificentiæ quaſi laqueo capta Olympia memor, & grata celerem Odeſchalchio fortunam fabricata eſt. Verum etiamſi nulla plane ſit auctoritas, & fides hujuſmodi Ephemeridum, quæ facta infectaque comminiſcuntur, tamen neſcio quomodo hæc commenta vulgi ſermonibus longe lateque diſſeminata ſunt. Adeo verum eſt, nihil eſſe tam volucre, quam maledictum, nihil facilius excipi, nihil libentius audiri; præſertim ſiquid aculeorum in principes viros emittat. Non eſt tamen, cur in hiſce fabellis diluendis prolixius immoremur, quum id antea ſummi viri præſtiterint, atque imprimis Pontifex Benedictus XIV. qui mihi unus eſt inſtar omnium. Ego vero contra hujuſmodi falſas criminationes nihil magis valere arbitror, quam vitam, & mores Odeſchalchii, ſimul ac in Cardinalium ordinem cooptatus fuit. Neque enim quæ male comparata ſunt, non male geri ſolent; & nemo ſubito fingi poteſt, neque ullius repente in contrariam partem vitam mutari, aut naturam ita converti videmus, ut qui aut vitiis mancipatus, aut virtuti deditus fuit, ſtatim longe alios induere mores, atque aliam rationem vivendi inire poſſe videatur.

At Odeſchalchius, ubi primum honore eſt ornatus clariſſimo, eam in vultu in ſermonibus in convictu in conſuetudine virtutem præſetulit, non recentem quidem ac novam, ſed diuturno jam uſu perſpectam, & ejuſmodi, ut proxime accederet ad veterem illam diſciplinam Antiſtitum ſanctiſſimorum, qui Romanam

Ec-

Ecclesiam auxerunt, atque illustrarunt. Hinc apud Odeschalchium non magnifica, & sumtuosa supellex, non magna vis argenti cælati, nulla servorum, & curruum insolens pompa: contra vero summa frugalitas, summa in egenos liberalitas, summus labor, & diligentia in iis muneribus obeundis, quæ amplissimo illi Ordini imposita sunt.

Hæc inter munera plus splendoris, & vero etiam quæstus habere censentur Legationes Provinciarum, quæ sunt in imperio, ac Ditione Romani Pontificis. Vacua erat Legatio Ferrariensis, & nemo unus Cardinalium erat, qui eam deposceret propter caritatem rei frumentariæ, qua Ferraria, totaque Ferrariensis Provincia miserabiliter angebatur. Incussit ea res curam Innocentio X. Pont. Max. qui, circumspectis omnibus, vertit ad Odeschalchium animum, neque alium opportunius eo Legatum mittendum existimavit, ut pauperum præsertim inopiæ in tam præsenti periculo opitularetur. Detrectavit primum Odeschalchius tam difficilem provinciam, non aliam ob causam, quamquod vereretur, ut subsidia, quæ necessitas flagitabat, sibi ulla pecuniæ vi in promptu esse possent. Sed quum certior deinde factus esset, reperiri in Apulia maximum frumenti numerum, morem Summo Pontifici libentissime gessit, statim in Apuliam missis, qui plura modiorum frumenti millia ære suo coëmerent, ac navibus onerariis imposita, Ferrariam quamprimum deferrent. Quum se in viam dedisset, ac multa agitaret animo,

quæ

quæ nullam ſibi partem quietis capere ſinerent, metueretque imprimis, ne navium curſum venti tempeſtateſque retardarent, Aſſiſium divertit, ut Joſephum Copertinatem e familia Conventualium, quos vocant, cujus fama ſanctitatis tota Italia percrebuerat, inviſeret, illique rem prolixius commendaret. Huic ſanctiſſimo viro vidimus noſtra ætate cæleſtes honores rite, ac ſolemniter decretos a Clemente XIII. Pont. Max. Joſephus igitur Odeſchalchium bono eſſe hilarique animo juſſit: Fore enim, ut prius onerariæ naves in Ferrariæ portum, quam ipſe in illam Urbem, pervenirent. Revera perlatæ ad eum fuere literæ, quibus certior factus eſt, navigatione fœliciter peracta, frumentum jam eſſe in tuto. Itaque biduo poſt Ferrariam ingreſſus, maximis vulgi acclamationibus exceptus, ſtatim eſſecit, ut ſummam annonæ caritatem inopinata vilitas conſequeretur. Cujus munificentiæ fama quum totam Italiam pervagata eſſet, atque in Urbem ad ipſius Summi Pontificis aures perveniſſet: Jam antea, Pontifex ait, nobis compertum erat, amantiſſimum egenorum patrem, nos Ferrariam Legatum miſiſſe; atque iſta quidem laus vulgo illi a Ferrarienſibus tributa fuit, ac in plurimis frequentioribus ejus Civitatis locis, ubi ſtemma gentilitium Odeſchalchii poſitum fuit, erat inciſa hujuſmodi inſcriptio BENEDICTUS ODESCHALCHIUS P. P. id eſt, Pater Pauperum. Demum nihil ab eo ad publicam Ferrarienſium calamitatem ſublevandam geſtum vel munificentius, vel

op-

opportunius, neque exemplum extat hujuſmodi Legationum adminiſtrandarum clarius.

Quum igitur Odeſchalchius tres ipſos annos Ferrariæ Legatus fuiſſet, itaque ex ea Provincia deceſſiſſet, ut Ferrarienſibus omnibus jucundam diuturnamque memoriam Legationis, nominiſque ſui relinqueret, Innocentius X. P. M. illum Novarienſi Epiſcopatu prædivite, atque honorifico auctum, ornatumque voluit. At non ita quidem is erat animo comparatus, ut Epiſcopatum quaſi mercedem laborum, & otii portum exiſtimare poſſet, quum intelligeret multo plus oneris, ſollicitudinis, periculi illi dignitati eſſe impoſitum, quam forte quiſquam putat. Ergo Epiſcopatum Odeſchalchius ita accepit, ut ad magis magiſque in Eccleſia Dei elaborandum omni ſe officiorum religione obſtrictum arbitraretur. Nihil profecto neglexit, quod ad amplificandam procurandamque populi ſibi commiſſi ſalutem pertinere aliqua ratione videretur. Summam in primis Ædium ſacrarum curam geſſit, eaſque omni ornamentorum genere, ac nobiliore ſupellectile inſtruxit; atque etiamſi in eam rem magnam pecuniæ vim impendiſſet, nunquam tamen permiſit, ut ſuum ſtemma uſquam apponeretur. Cupiebat enim, ut ſua quidem beneficia eſſent immortalia, ſui tamen memoria ſtatim periret. Xenodochia, Noſocomia, atque alia id genus inopum, atque ægrotorum perfugia frequentiſſime inviſebat. Nondum in ea civitate inſtructum fuerat publicum illud pauperum Ærarium, quod vulgo MONS PIETA-

TIS

TIS appellari ſolet. Ergo Novarienſibus auctor fuit, ut illud quamprimum inſtituerent; cujus voluntati ſtatim morem geſſere. Vehementer enim gaudebant Novarienſes, tam probum, tam vigilem, tam munificum Paſtorem ſibi obtigiſſe, illiuſque conſilia, atque auctoritatem perlubentiſſime ſequebantur.

Illis autem tam eximio bono frui diutius non licuit. Quum enim ea Civitas in humili planitie ſita ſit, quæ quo opportunior orizæ ſegeti, eo infeſtior hominum valetudini plerumque eſſe ſolet, aëre ſibi minus æquo uti cœpit Odeſchalchius, atque illius valetudo non mediocriter tentari. Quum itaque vereretur ſanctiſſimus Præſul, ne, ſi valetudine minus commoda uteretur, minus aptus foret ad laborioſiſſimum munus, pro eo ſtudio, quo efferebatur, Chriſtianæ pietatis, perfungendum, Epiſcopatu ſe abdicavit. Nullus profecto fuiſſet Novarienſium dolori modus, niſi ſtatim in ejus locum germanus frater Joannes Baptiſta ſucceſſiſſet, qui Benedictum in omni virtutum genere quamproxime imitaretur. Hic autem jamdiu humanis rebus omnibus neglectis in Divi Benedicti Cœnobiis vitæ monaſticæ ſe addixerat, dignuſque ob eximiam ejus virtutem Summo Pontifici viſus eſt, qui tanto Fratri ſuccederet. Jam vero is in utroque vitæ ſtatu non mediocri prudentiæ, ac ſanctitatis laude floruit, morienſque magnum ſui deſiderium Novarienſibus reliquit. Cæterum Odeſchalchius noſter, dum Epiſcopatum dimiſit, palam profeſſus eſt, ſe quidem illius Eccleſiæ honorem

rem

rem abdicare, non vero procurationem abiicere, quam procurationem ſibi perennem, & jucundam fore recepit. Neque fidem egregie non præſtitit: Penſionem enim trium millium nummum aureorum, quam illi Summus Pontifex de reditibus Epiſcopatus detractam ſolvi juſſerat, non modo non attigit quidem, ſed etiam ex ſua pecunia non mediocriter auxit, mandavitque, ut tota quotannis in pauperes Novarienſes tribueretur. Itaque nihil ad ſe ex illius Eccleſiæ reditibus, multum, dum vixit, de ſuis ad illam pervenit. Jura præterea, atque illius Eccleſiæ immunitates, quas contra nonnullorum potentium hominum conatus, qui Regio nomine atque auctoritate ad eas evertendas abutebantur, quum eſſet Epiſcopus, non minus fortiter, quam prudenter propugnarat, poſtea Romæ conſtanter defendit.

Romam, Epiſcopatu abdicato, quum rediiſſet, perſonam Eccleſiaſtici Principis in Romano Senatu pulcherrime ſuſtinuit. Ille adeſſe Romano Pontifici opera conſilio vigilantia fide, ſemper aliquid aut ſuadere, aut moliri, aut facere, quod e Chriſtiana Republica eſſe videretur. Itaque nihil domi per ea tempora nihil foris vel egit Pontifex, vel agere cogitavit, in quo Odeſchalchii aut ſententia, aut opera non uteretur. Non ſunt explicanda omnia, quæ in Cardinalatu geſſit, ut hiſtoriæ brevitati conſulatur. Sed illud eſt memoratu digniſſimum, quod quum apud Chriſtianos Principes, & præſertim Romæ ageretur de comparandis ſubſidiis ad Turcicum bellum propul-

ſan-

ſandum, Cardinalis Odeſchalchius exiſtimavit, non poſſe melius opes, quibus abundabat, profundi, quam ad defenſionem Chriſtianæ Religionis, quæ in maximum diſcrimen vocabatur. Itaque homo privatus quum eſſet, magnam auri vim Leopoldo Cæſari, ac Caſimiro Poloniæ Regi dono miſit, quo ea pecunia inſtructiores, ac paratiores eſſent ad bellum maximum, formidoloſiſſimumque ſuſtinendum. Tanta autem pecuniæ ſumma, quæ ad nonaginta millia nummum aureorum perveniſſe dicitur, curata eſt Franciſco Bonviſio Civi meo, & Pontificio apud Imperatorem Legato, quem deinceps Odeſchalchius Pontifex factus, Cardinalem creavit nobilitate virtute, rerumque gerendarum ſcientia, atque uſu præſtantiſſimum. Ea tamen lege Bonviſio curata eſt, ut ingentis beneficii auctorem ne omnino aperiret; quaſi tanta virtutis lux in obſcuro eſſe poſſet, ac fugere conſpectum, atque admirationem civium omnium.

At ſecus id apparuit tum maxime, cum Clemente IX. e vivis ſublato Cardinales plerique omnes neminem Odeſchalchio præferre auſi, ipſum ſolum Pontificatu dignum ſentirent & prædicarent. Quorum tamen perſpectæ voluntati vehementer reſtitit Odeſchalchius, & agendo orando monendo evicit tandem, ut in iis Comitiis nulla ſui ratio haberetur, & Clemens alter, qui X. hoc nomine fuit, Pontifex eligeretur.

Sex hic annos regnavit: quo vita functo, quum iterum conveniſſent Patres, ut de ſucceſ-

ſo-

ſore agerent, Odeſchalchio in Ædes Vaticanas proficiſcenti univerſus ferme populus Romanus Pontificatum fauſtiſſimis acclamationibus auguratus eſt. At ille: quam mallem, inquit, me Cardinalem e Comitiis mortuum, quam Pontificem viventem prodire! Vix tamen in Ædibus Vaticanis pedem poſuit, cum omnium Patrum votis, atque ſuffragiis deſignatus eſt Summus Pontifex. Comitia tamen ad quadraginta duraverunt dies. Quam cunctationem ab Odeſchalchii modeſtia allatam fuiſſe conſtat. Nihil enim non conatus eſt, ut ſanctiſſimum munus abs ſe iterum ablegaret. Primum quidem nervis omnibus contendit, ut ſive Cardinalis Alderanus Cybus, ſive Nereus Corſinius Senior viri nobilitate generis, & virtute præſtantiſſimi, animo vero, & uſu ad graviora quæque negotia maxime idonei ſufficerentur. Sed quum ea conſilia minus ex ſententia procederent; jam certior factus, Cardinales pleroſque omnes Summum ſibi Pontificatum concordibus ſtudiis, atque ſententiis eſſe delaturos, neque ullum ſibi poſt tam diuturnam cunctationem deprecationi locum relictum eſſe, primum obteſtatus eſt, ſibi quidem non licere diutius tam exploratæ Patrum voluntati obſiſtere, eos tamen obſecrabat, ut etiam atque etiam conſiderarent, quid in ea re conſilii caperent. Is enim, re adhuc integra, palam omnibus denunciare, nihil ſibi prius in Summo Pontificatu, aut antiquius futurum, quam ut veterem Eccleſiæ diſciplinam in priſtinam dignitatem ſplendoremque reſtitueret,

ac

ac vitiis omnibus, si quæ in Ecclesiam irrepsissent, bellum severissime indiceret. Austerior hæc loquendi ratio, quamquam plerisque gratissima acciderit, nonnullis tamen non admodum probabatur, verentibus, ne vitæ suæ censorem sibi ultro constituerent: quo factum est, ut magnum illud studium deferendi Odeschalchio Summi Pontificatus per paucos dies aliquantum refrixisse videretur. Sed quum incidisset solemnis Beatæ Mariæ in Cælum Assumptæ festus dies, quo die Recanatus Cappuccinorum, quos vocant, familiæ alumnus, vir non mediocri eloquentia præditus, qui, a Confessionibus Cardinalium quum esset, atque Comitiis interesset, concionem apud Patres habuit, eosque vehementer hortatus est, ut in deligendo Pontifice quid ea dignitas flagitaret, tantummodo spectare vellent. Dum autem virtutes ipsas fusius describit, quibus Pontificem Maximum instructum ornatumque esse oporteret, prope Odeschalchium ipsum indigitare visus est. Itaque oratio tantum auctoritatis, ac momenti habuit, ut Patres non amplius cunctandum, at veluti conspiratione facta statim deligendum Odeschalchium existimarent.

Peropportune etiam accidit, ut sub id tempus Cardinales * e Gallia profecti ad Vati-

* Jo. Paulus Gondi de Retz nuncupatus, Archiepiscopus Parisien. Tit. S. Mariæ supra Minervam. Emmanuel Theodosius a Turre ab Arvernia Bullionus, Tit. S. Laurentii in Panisperna. Cæsar Destræus, Tit. Sanctissimæ Trinitatis in Monte Pincio.

cana Comitia pervenirent, qui quum essent erga Odeschalchium egregie animati, vehementer gavisi sunt, se in eum statum incidisse, ut suam suffragationem & opportunam & justam & debitam & vero etiam gratiosam exhiberent. Ergo Cardinalium omnium consensu, atque suffragiis electus est Pontifex Maximus, statimque, ut moris est, cum adhuc in Conclavi esset, singulorum Patrum obsequia semel atque iterum excepit, qui adorantium in morem ad illius genua acciderunt. Tum Populo Romano, qui ab universa Urbe in amplissimum Vaticanum Templum confestim convolarat, se in conspectum dedit. Eo spectaculo commota plebs non inconditis acclamationibus efferri, neque dissoluta lætitia gestire, sed hilaritatem præseferre visa est, intimo quodam admirationis, ac pietatis sensu conjunctam, ac Deum Opt. Max. precari, ut ea res Ecclesiæ, Urbi, & universæ Christianæ Reipublicæ bene, fœliciterque eveniret. Creatus igitur est Pontifex die XXII. Septembris ann. MDCLXXVI.

Atque hic placet duo quædam Vaticinia innuere, quæ Odeschalchii futuram amplitudinem jamdiu significaverant. Novocomi enim primaria quædam Matrona singulari pietate prædita, quum Odeschalchii matrem post puerperium, ut moris est, invisisset, Infantem recens natum aliquandiu defixis oculis contemplata, matri beatissimam fœcunditatem gratulata est his plane verbis: Habes, Paula, unde triumphes gaudio, quod Pontificem Maximum edidisti. Alterum vulgò fertur, quod Ode-

Odeſchalchio Roma Neapolim verſus iter agenti ex improviſo obviam veniunt duo Religioſi homines e Cappuccinorum familia, quæ dicitur, Odeſchalchio ipſi omnino ignoti, percontanturque, quo iter haberet: quum reſpondiſſet, Neapolim, tum illi brevi, ſed vehementi oratione ſuadent, quaſique imperant, ut Romam quamprimum redeat, ibique domicilium conſtituat ſuum: hanc eſſe Divini Numinis voluntatem. Quo habito ſermone, ex oculis repente dilapſi ſunt, neque amplius viſi. Sed (ut hæc omittamus, quæ habita ſunt divinæ vaticinationis loco) nulla certior vaticinandi ratio erat, quam quæ ab inſtituta ipſius vitæ, & morum ſanctitate ducebatur.

Hic autem non erit abs re paucis exponere, quis ea ætate fuerit Urbis ſtatus, quæque ratio Pontificatus gerendi: magna enim quinquaginta ferme ab hinc annis rerum mutatio facta eſt: & permagni ſane momenti eſt, cum omnibus in rebus, tum in actionibus clariſſimorum hominum dijudicandis, ratio, atque inclinatio temporum. Nam cum Odeſchalchius Pontificatum ſuſcepit, Roma exiſtimatione, opibus, magnorum hoſpitum frequentia maxime florebat. Omnes ferme Principes, quibus imprimis Catholica Religio cordi eſſet, Pontificis Maximi ſedem venerabantur; illinc enim, non a barbaris nationibus, legum morum, & humani moderatique imperii exempla petebant, illiuſque dignitati perlubenter ſtudebant Neque tam Apoſtolica Sedes de ſupremis Principibus, quam ſupremi Principes

de Apostolica Sede omni officiorum genere benemereri certabant. Optime enim illis compertum erat, nullam esse tutiorem rationem, ac viam, qua suos in officio continerent, quam Religionem: nullum esse firmius vinculum, quod populos cum Principibus conglutinaret, quam si inter ipsos Principes, & Religionis Caput concordia vigeret, ac mutua benemerendi voluntas. Nondum autem exorta erat impia illa, ac teterrima opinio, Romanam Religionem Regnorum utilitatibus obesse: nec dum invaluerant præpostera quorumdam consilia, quos neque magnos politicos, neque magnarum rerum auctores, sed minutos, exilesque ratiocinatores jure appellaveris: omni scilicet ratione studioque cavendum esse, ne pecunia Romam deferatur, perinde ac si non esset Urbs communis omnium patria, portusque nationum omnium, quæ Catholico nomine censentur, neque verum esset, quantum pecuniæ in Urbem importatur, tantundem multoque etiam plus, quasi per diversas, atque occultas venas in exteras quasque Nationes ex Urbe redundare: neque præterea intelligunt Pontificis Romani, hoc est Patris dominationem, vel potius auctoritatem, ad exteros ipsos pertinere, si quid exterum Romæ haberi, & dici possit. Romæ igitur inter Regios Legatos, qui prudentia maximopere, & rerum gerendarum usu præstarent, de universa Christiana Republica, de concilianda pace, de contrahendis fœderibus agebatur, atque hic in primis consilia iniri solebant, quibus Tur-

Turcarum potentia conteri, & hæreſeos peſtis extingui poſſet.

Sed ut ad propoſitum revertamur, ea quum eſſet temporum, & rerum conditio, ad ſummum Pontificatum aſcendit Odeſchalchius, ſibique Innocentii nomine indito, ſtatim maxima bene adminiſtrandæ Chriſtianæ Reipublicæ fundamenta jecit. Jamdiu erat, quod Romani Pontifices in aliquam invidiam, atque offenſionem vocabantur, propterea quod in Fratrum aut Sororum filios plurimum auctoritatis conferre ſolerent. Quo fiebat, ut non longo temporis ſpatio ſummam iidem ſibi potentiam compararent, atque ad immenſas emergerent opes. Sed Innocentius longe aliam ſibi rationem ineundam eſſe duxit. Romæ jamdudum verſabatur Livius Odeſchalchius Fratris Filius, cujus conſuetudine mirum in modum delectabatur: ſed quo primum tempore Summus Pontifex renunciatus eſt, illi ſtatim indixit, ut intra privatæ fortunæ fines ſeſe contineret: nihil cum Oratoribus Principum tranſigeret: nihil in ſe reciperet: nullam denique publici muneris partem attingeret.

Erat illi Mediolani alter Sororis filius Antonius Erba vir inſigni pietate prudentia doctrinaque præditus, quicum magna ſibi vetuſque amicitia intercedebat, ad quem etiam Pontifex ſolebat frequentiſſime ſcribere. Is tamen ab amiciſſimo Pontifice nunquam impetrare veniam potuit, qua ſibi liceret Romam venire, ut ad illius pedum oſcula accederet. Quum autem is quidem ſumma nobilitate eſ-



ſet, neque tamen fortunis admodum lautis uteretur, vix poſtremo Pontificatus anno duobus Filiis Eccleſiaſticam Penſionem ducentum quinquaginta nummûm in ſingulos, quo ſtudiis vacare facilius poſſent, ab Innocentio quaſi invito obtinuit; quem tamen hujus tenuiſſimæ liberalitatis non ſemel pœnituit, quum ſibi aliquanto profuſior in conſanguineos fuiſſe videretur. Ex eadem Erba Familia deinceps a Livio Innocentii Fratris Filio (qui ſine liberis deceſſit) aſcitus fuit, atque in Odeſchalchiam ſtirpem inſitus Balthaſſar Innocentii XI. Sororis Pronepos, & alterius Livii Pater; qui Livius Romæ nunc maximo ſplendore, munificentia, & omnium exiſtimatione ornatiſſimus ſimilitudinem repræſentat Odeſchalchiæ virtutis, & nominis.

Sed neque tum defuerunt, qui prævalido jam more aſſentandi Pontificis propinquis, palam prædicarent, nemini, quam conſanguineis majori futuram curæ Principis gloriam; atque id fore ſperabant, ut Innocentius ſua conſilia eo tandem referret, ut Fratris filium Livium Odeſchalchium ad capeſſendam Rempublicam invitaret; præſertim quum bene noſſet, ea illum abſtinentia eſſe, ut nihil mali metuere, plurimum boni ſperare Reſpublica poſſet. Sed Innocentius omnium expectationem fefellit. Neque enim unquam de primum ſuſcepta ſententia dimoveri paſſus eſt, neque quicquam in hac re de priſtina ſeveritate remiſit. Quin immo certior factus, ſubductis rationibus, a Clementis VIII. Pontificatu ex Ærario

rio

rio publico ſeptemdecim decies centena millia nummum aureorum ad conſanguineos Pontificum perveniſſe, legem ſancivit Cardinalium ſuffragiis comprobatam; qua lege vaſta illa conſanguineorum Pontificis cupiditas certis finibus cohibetur. Ea lex quidem non ſtatim publicata fuit, ne aliqua macula quibusdam Pontificiis familiis aſpergeretur; ſed non multo poſt Innocentius XII. illam promulgavit.

Excluſis ſuis ab omni adminiſtratione Reipublicæ, paucos tamen viros, ſed boni publici, Religioniſque ſtudioſiſſimos in conſilium adhibebat. Mentitur igitur Baelius, qui temere (ut pleraque omnia) affirmat Innocentium in eo errore fuiſſe, quo ducuntur ſæpe Principes, qui ad gloriam ſuæ dignitatis referunt, ut potentia, ſic ſapientia cæteros antecellere, & nihil præterquam ſe auctoribus fieri volunt. Cujus tamen pernicioſi erroris plerumque Reſpublica pœnas luit. Innocentius tamen Cardinales (inter quos primarium adminiſtrum Alderanum Cardinalem Cybum ſummo conſilio præſtanti fide ſingulari virtute præditum) & Theologos aliquot prudentiſſime conſulebat, eorumque conſilia libentiſſime ſequebatur, præſertim ſi libera, & ab omni aſſentatione aliena cognoviſſet. Monitus enim a Religioſo Theologo, quo intime utebatur, non eſſe e Republica, ut in Magiſtratuum delectu junioribus poſthaberentur ii, qui ætate & meritis antecellerent (quod factum fortaſſe animadverterat) non modo Innocentius liberum

hominis judicium probavit, ſed gratias illi agens, uberes profudiſſe lachrimas, & quicquid erratum fuerat, pœnitendo correxiſſe dicitur. Adeo in imperio non aſſentationis (quod perrarum eſt) ſed ſimplicis veritatis amicus fuit!

Quum autem nihil magis pertinere ad Summum Pontificem, quam Religionis tutelam intelligeret, circumſpiciens quaſi ex ſpecula Catholicum Orbem terrarum quid negotii, quid periculi ipſi impenderet cogitabat. In Gallia præſertim maximas moleſtiarum moles Pontifici Summo imminere prævidebat. Ab Hugonottis enim periculum erat, ne ſaniorem Chriſtianiſſimi Regni partem peſtiferæ illius ſectæ contagio traheret: augebantur etiam in dies ſingulos Janſenii ſectatores, contra quos prodiit in aciem, pulcherrimeque pugnavit natio Theologorum, qui glorioſius viciſſent, ſi minus inſolentes in victoria fuiſſent. Sed cum cœco quodam impetu ferebantur opiniones obtrudendi quaſcumque ſuas, tum non erant ipſi erroris expertes: laxiorem enim quamdam doctrinam induxerant, qua Evangelicæ ſeveritatis nervos omnes elidere videbantur. Ergo in hac cogitatione omnium maxima defixus Innocentius, edixit, ut in ſingulas hebdomadas binæ Cardinalium Congregationes, quas vocant, haberentur, quibus ipſe præeſſe, atque intereſſe nunquam non ſolebat, quaſque Pontificatus ſui veluti adjutrices manus eſſe voluit. In altera enim (quæ ſacræ Inquiſitionis appellatur) de Catholica tuenda Religione:

In

In altera de eadem latius disseminanda diligentissime agebatur, & Congregatio de Propaganda Fide dicitur.

Neque ex ea fructus non maximos suo Pontificatu cœpit. Etenim missis ad Orientales plagas, qui Evangelicæ veritatis lucem afferrent, plures ad Catholicam fidem, & Romani Pontificis obedientiam perduxit. Hos inter non sunt silentio prætereundi Blasius Episcopus Samogensis, qui ann. MDLXXXII., tum Mandrinus Episcopus Samatruensis, tum Euthimius Archiepiscopus Tyri, qui consequenti anno opinione & fama Innocentii permoti, schismate deposito, sese Romanæ Sedis principatui auctoritatique devoverunt; literisque pietatis observantiæ fidei plenissimis Pontificem enixe rogarunt, ut optimos, doctissimosque Sacerdotes mitteret, qui se suosque populos erudirent Romanis moribus, atque institutis. Hoc idem præstitisse commemorantur & Joseph Caldeorum Patriarcha, & Ignatius Patriarcha Antiochenus, aliique non pauci Schismatici Orientales Episcopi. Quare Innocentius instituit Gallorum Sacerdotum Collegium, unde strenui milites educerentur quasi ad bellum impietati indicendum; quorum plerosque ad remotissima Sciami, & Tunchini regna misit. Et Sciami Regis quidem Legatum, multis comitatum, qui recenter sacro Baptismo initiati fuerant, publice, & magno in hominum conventu excepit. Quo spectaculo, vel potius Religionis triumpho nihil Sanctissimo Pontifici jucundius, nihil gloriosius fuit. Legatio-

tionis autem ſententia erat: Regem illum, divina luce illuſtratum, impiæ ſuperſtitionis errores execrari, & ad Chriſti Vicarii pedes procumbentem orare, ut ſe ſuumque regnum in clientelam reciperet ſuam; atque illuc Chriſtianæ doctrinæ nuncios atque interpretes mitteret. Quod prolixe pollicitus eſt Innocentius, & præſtitit; Legato non ſine magnis Paterni amoris & liberalitatis ſignificationibus dimiſſo.

Neque tamen minus accuratus fuit in temperandis moribus Civitatis, unde Religionis, & Chriſtianæ diſciplinæ exempla peti oportere animadvertebat. Hujus extant ſanctiſſimæ leges, quibus luxuriam coercuit, aleam excluſit, Urbem purgavit flagitiis & facinoribus, immodeſtam mulierum licentiam compeſcuit, & divini cultus, & templorum violatores exilio, aliiſque pœnis ſeveriſſime mulctavit. Quum non ignoraret permultos Romæ nobiles viros, ut immoderatis ſumptibus eſſent pares, maximum æs alienum faciliime contrahere; ne vero contractum diſſolverent, potentia impudentiſſime abuti, edixit, ut ex publico Ærario creditoribus præſertim egenis fieret ſatis: Fiſco autem eſſet curæ, ut nequid ex ea re detrimenti Ærarium acciperet. Quo facto ſignificavit, omnia ſe æquitati, nihil gratiæ daturum, atque artificum, inſtitorumque inopiæ, atque injuriis contra potentiam ſuperbiamque nobilium certiſſimo præſidio fore. Præterea cognoverat, plurima in Civitate eſſe perfugia, quo facinoroſi homines ſeſe recipientes a juſtitiæ pœnis elaberentur: id quidem non ferendum exiſtimavit;

vit;

vit; ſed eo jam tum curas, & cogitationes convertit, ut Aſyla quæque Legatorum tollerentur, ne in ipſa Urbe, in ipſo Pontificis conſpectu improbus quiſque furere, atque impune latrocinari poſſet. Quod quidem ab Innocentio non ſine magnis difficultatibus perfectum fuiſſe mox demonſtrabimus. Interim tamen huic ſalutari operi quaſi prælusit publico Edicto propoſito, quo cavit, ne uſpiam in poſterum exterorum Principum ſtemmata in privatarum ædium fronte apparerent.

Erat tum etiam Roma referta diplomatibus, quas Patentes vocant, quibus freti Romanorum Procerum clientes, familiareſque ad retardandam, eludendamque juſtitiæ vim ſæpiſſime abutebantur. Quamplurima hujuſmodi diplomata in ſuos clientes tribuerat Laurentius Columnius Princeps Romanæ nobilitatis, atque, ut erat animo elato, indignabatur, ac minas opponebat, pericula intentabat, ſi quis eorum ab apparitoribus publicis ob aliquod facinus, comprehenderetur. Neque hoc ferendum exiſtimavit Innocentius, cui nihil fuit antiquius, quam ut ſumma juſtitiæ ratio haberetur, atque ut inter inæquales illud æquum jus ſervaretur, quo quidem ſervato, nihil eſt Republica beatius, neglecto, ſolitudo quævis Civitatibus præſtat. Quid enim ſibi quiſque non metuat in ea ſocietate hominum, in qua peccandi licentiam certiſſima impunitas conſequatur? Itaque hac in re ea conſtantiæ, ac ſeveritatis documenta edidit, quibus a ſuſcipiendo facinoroſorum hominum patrocinio nemo

non

non in posterum absterreretur. Nám Restium nescio quem audacem hominem, qui tamen esset Principi Columnio admodum carus, severissime proscripsit: ipsum vero Principem ad se venire jussit, summotisque omnibus in secretius cubiculum peramanter induxit, & cum illo tres amplius horas sermonem habuit. Ea fuit Pontificiæ vis eloquentiæ, ut Princeps ab eo colloquio omnino immutatus discederet. Ac revera quamdiu vixit, tum sanctissimi Pontificis memoriam pie coluit, cum in omnibus officiis Reipublicæ diligentissime satisfecit.

Romæ pluribus jam ab hinc annis versabatur Christina Alexandra Sveciæ Regina, quæ, postquam Catholicæ Religionis studio quum Regno se abdicasset, peragratis plurimis Europæ regionibus, in Urbem una cum Holstenio, quem doctissimum Præsulem Alexander VII. ad eam comitem legaverat, ad Portam Flaminiam infinita civium frequentia, populique concursu magnifice, ac sumptuose triumphantis in modum invecta fuerat. Quum autem cæteras virtutes regias, quibus egregie instructa erat, suscepto bonarum artium patrocinio, summaque in literatos homines benignitate, atque munificentia cumulasset, magnam obtinebat Romæ apud omnes ordines auctoritatem, magnamque apud ipsos Pontifices gratiam. Itaque nihil esse tam arduum, nihil tam difficile videbatur, quod non facillime impetratura esset: At multis in causis plus apud Innocentium justitiæ cultus, quam Reginæ deprecatio valuit, præsertim si ita status Urbis, con-

di-

ditio temporum, delictorum gravitas, publicæ denique tranquillitatis ratio flagitare viderentur.

Hoc loco non erit abs re narrare quod mirum accidisse fertur ad ejusdem Reginæ, vel potius ipsius aulicorum audaciam frangendam. Quum eadem Svecorum Regina spectaculum, nescio quod, edere constituisset certis quibusdam diebus, cum ludicra id genus Romæ celebrari non liceret; Innocentius Præfectum Urbi ad eam legavit, ut a suscepto consilio dimoveretur. Illa tamen contra perspectam Innocentii voluntatem incœptum opus urgere, atque omnia, quæ necessaria erant, ad præstitutum tempus parari, atque instrui jubet. Adit semel atque iterum Præfectus Urbi Pontificem, demonstrat rem esse eo deductam, ut dubitari non posset, quin vetitum spectaculum fieret; rogat quid sibi agendum foret ad tuendam Pontificiæ legis auctoritatem. At sanctissimus Pontifex, antequam responsum ferret, in interius conclave se recepit, & diu ante Christi Cruci suffixi imaginem provolutus sacras preces fudit; deinceps e cubiculo egressus ad Præfectum Urbi: Tu, inquit, nihil ages, nihil molieris, quo spectaculum inhibeatur; sed spectaculum certissime non edetur. Expectabant homines, quem exitum ea controversia habitura esset; cum Regiæ domui Præfectus, qui signum ad spectaculum edendum jam prope daturus erat, repentina morte sublatus ludum vertit in tragœdiam, qua ex morte inter-

terturbata omnia, & spectaculi cogitatio quævis abjecta.

Nonnullos etiam ejusdem Reginæ aulicos non levium criminum reos, & Pontificiæ potestatis impudentissimos contemptores in carcerem duci, atque sententiis Judicum tradi jussit. Hoc ægre tulit Regina, quæ licet omni libera itatis atque honoris genere ab Innocentio aucta, volebat tamen Regiæ jus dignitatis sanctum, inviolatumque tueri. Ergo quum intelligeret, Innocentio si obsisteret, nihil profecturam, ad humiles preces descendit, & eos ita diligenter Summo Pontifici commendavit, perinde ac si sua res aut honos ageretur. Sed nonnisi post longissimum tempus impetrare potuit, ut ab Innocentio indemnati dimitterentur. Quamquam autem hæc Innocentii constantia minus fortasse grata Reginæ accidit, ea tamen sæpissime experta est, se ab hoc Pontifice nihilo minoris fieri quam deceret, suamque dignitatem nulli magis, quam Innocentio cordi esse. Nam quum magnam Pomeraniæ partem, e cujus Provinciæ vectigalibus centum millium nummum pensionem sibi illa reservaverat, Marchio Brandeburgicus in ditionem iterum redegisset suam, Regina etiam maxima illius pensionis parte repente excidit. Quum igitur in summis pecuniæ angustiis versaretur, neque Regiæ familiæ splendorem tueri diutius posset, Innocentius ejus rei certior factus, id consilii cœpit, quo Reginam sibi Romæ domicilium constituisse non pœniteret. Illi enim duodecim millia nummum ex Ærario Pontifi-

cio

cio quotannis persolvi jussit. Quo beneficio Regiam fœminam Catholicæ Religioni magis magisque devinctam adjunxit.

Cæterum ubi de justitia ageretur, ita animum suum confirmaverat Innocentius, ut non gratia, non metu, non precibus ullis ab ejus administratione deduci posset. Quam firmitatem animi maxime declaravit in puniendo temerario Marchionis Gabriellii facinore. Nam quum Bacchanalibus diebus mos invaluisset, ut e nobilitate Romana Juvenes ferociores in via Flaminia ad ostentandam aurigandi peritiam invecti Rhedis cursu contenderent inter sese; unde plerumque rixæ, cædes, & magna incommoda oriebantur in Civitate; Innocentius Edicto severissimo caverat, ne hujusmodi curruum contentiones fierent, gravissimis pœnis propositis in eos, quorum fraude id factum fuisse constaret. Sed Marchio Gabriellius ratus Reginæ Svecorum familiaritate, & clientela, qua utebatur, posse Edictum Pontificis impune violari, stulte arrogans currum Marchionis de Bubalo aggreditur, propellit, atque inaniter exultans subvertit. Ergo Innocentius illum statim comprehendi, & in carcerem Molis Adrianæ detrudi jubet. Mox per Judices cognita diligenter causa illum exilio mulctat, & in Hungariam relegat, ubi decem ipsos annos adversus Turcas militaret. Deinde ad Carolum Luthoringiæ Ducem, qui exercitui imperabat, literas mittit, ut in Gabriellii vitam & mores inquirat, & sibi accurate referat, utrum militiæ labores ferens justitiæ satisfaceret. Post ali-

quod

quod tempus accidit, ut Auſtriacus Exercitus inſignem a Turcis victoriam reportaret. Marchio Gabriellius curat, per Luthoringiæ Ducem, in cujus gratiam ſeſe inſinuarat, ut a Leopoldo Cæſare ipſe nuncius victoriæ ad Pontificem deligatur. Deligitur, eique etiam Vexillum ex hoſtium manibus ereptum ad Innocentium deferendum traditur. Gabriellius citatis equis lætus atque alacer ad Urbem volitat. Quod ubi intelligit Pontifex, non illum modo congreſſu, & colloquio ſuo prohibet, ſed intra tres dies Roma, quo non bona ſua cum venia accedere auſus fuerat, abire & in Hungariam reverti jubet. Neque Cæſaris commendatitiæ literæ, neque Legati Auſtriaci, qui Romæ erat, preces efficere potuerunt, ut a propoſito Innocentius dimoveretur. Adeo tenax juſtitiæ cultor fuit!

Dum ita Innocentius Pontificatum gerebat, ut in omnium ore, atque oculis eſſet, ut eum non minus cives diligerent, quam exteri vererentur, & Reges ipſi, ac Principes colerent, non tam reverentia Divini muneris, quod gerebat, quam opinione egregiæ, & propriæ ipſius ſanctitatis; fœda quædam tempeſtas exorta eſt, quæ tranquillum rerum Pontificiarum curſum vehementer perturbavit.

Placet hoc loco fontem licet remotum oſtendere hujus controverſiæ, quæ Pontifici cum Ludovico interceſſit, & unde maximam video in Pontificatum Innocentii invectam fuiſſe partem incommodorum. Manaſſe enim intelligitur a Baſileenſi Concilio, quod ubi ab Eugenio

nio

nio IV. prudentissime dissolutum fuit, neque legitimam amplius auctoritatem habuit, statim gravissima dissidia Patres inter & Pontificem Romanum extiterunt. Ac primo quidem nulla in illo seditioso Conventu Pontificiæ seu voluntatis, seu dignitatis haberi ratio cœpit; tum Apostolicæ Romanæ Sedi infensa atque infesta iniri consilia, non pauca denique decreta sanciri, quibus Romanorum Pontificum amplitudo atque auctoritas imminueretur. Quamplures Ecclesiastici homines Basileam convenerant, quibus Romana Ecclesia odio esset: aderant plerique Episcopi sua fraude e sedibus expulsi suis: eaque colluvies in hoc præsertim studium coaluit, ut nonnullæ leges conderentur, quæ eo gratiores vulgo essent futuræ, quo arctius Romanorum Pontificum jura potestatemque coercerent. Itaque Romano Pontifici abrogatum jus fuit Ecclesiastica Beneficia conferendi, cautumque, qui ex singulis Beneficiis unius anni reditus ipsi Pontifici, quasi tributi nomine, pendi solebant, ne in posterum penderentur. Ea Concilii decreta paulo cupidius arripuere Galli; neque tamen ut primum ab eodem Concilio descripta fuerant, sed partim immutata, partim novis additamentis aucta, atque in libellum congesta Carolo Galliarum Regi confirmanda exhibuere. Carolus perlubenter Ecclesiasticis morem gessit, sanxitque, gravissimarum etiam pœnarum proposito metu, ut hujusmodi leges in universa Gallia fixæ atque in perpetuum ratæ haberentur. Quo factum est, ut dum Pontificiæ ser-

vitutis jugum (ut ipsi interpretabantur) excusserunt, inter vulgaria mancipia turpiter detrusi fuisse viderentur. Hoc autem Regis decretum Pragmatica Sanctio appellari cœpit. Cui tamen permulti Episcopi, qui in Gallia doctrina, probitate, & morum sanctitate cæteris præstabant, constanter repugnarunt, quod ex Historia illius Regni facile intelligitur. Nihil perdiu vehementius contendere Romani Pontifices, quam ut illa Sanctio antiquaretur. Sed neque Eugenio, neque Nicolao, neque Callixto Pontificibus res feliciter cessit. Sub Pio autem Secundo sopita potius, quam extincta fuit. Non raro enim ex illa Pragmatica Sanctione funestissima quædam discordiarum semina suboriebantur. Denique a Leone X. & Francisco I. Galliarum Rege nova quædam perpetuæ pacis fundamenta jacta sunt; & Pragmatica Sanctione abrogatâ, permissum ex indulgentia Pontificis Galliæ Regibus jus illud, quod Regalia appellatur, quod in eo consistit, ut cui libuisset munerum Ecclesiasticorum vacantes census Rex attribueret, in sua tantum ditione, quæ tum certis finibus continebatur. Hos fines Concilium Lugdunense statuerat; sed Reges suam his legibus potestatem coerceri indignabantur.

Quum autem Ludovicus XIV. permultas Urbes ac Provincias maximis victoriis late peragrasset, & Noviomagensi pace constituta, suo imperio adjunxisset, Regaliam ad easdem una cum politica jurisdictione propagarat, & quo supra memorato jure in Gallia utebatur, eodem

dem

dem ipſo in illis Provinciis, quas nuper ſibi ſubegerat, uti poſſe arbitrabatur. Reſtitit vehementiſſime Innocentius, docuitque illud ipſum jus, ad quod majores illius tolerabili magis, quam legitima ratione, & via obrepſiſſe dicebat, latius non eſſe amplificandum. Neque tamen Rex de ſuſcepto conſilio receſſit; quin immo plura deinceps molitus eſt, ut juri, quod Regiæ poteſtati innatum contendebat, ne in poſterum derogaretur. Nam & Cardinalem Eſtræum Romam miſit, qui ſua eloquentia perſpectam Innocentii conſtantiam expugnaret, perſuaderetque Pontifici, ut in ea controverſia Chriſtianiſſimo Regi de Catholica Religione optime merito gratificaretur. Mox Epiſcoporum Conventum in Gallia cogi juſſit, qui quidem in ea controverſia Regiæ voluntati obſequentes fuere: quo in Conventu ratæ, latæque ſunt quatuor illæ injurioſæ Propoſitiones, a quibus Romani Pontificis auctoritas, & dignitas imminuta exiſtimabatur.

Fuit quidem in hàc controverſia obſcuritas quædam, fuit diſſidentium certamen ſententiarum: quum alii dicerent, non debuiſſe a Pontifice eà repulsà irritari animum potentiſſimi Regis, & tum maxime incumbentis ad Hæreticos e Galliæ finibus exterminandos: leges quandoque mutandas temporibuſque accommodandas: non ſemper adverſiſſimis ventis inconſulto reſiſtendum: ſed arte quadam velis colligendos, ut adjumento ſint, non impedimento ad ſecundum navigationis curſum. Alii autem negarent, qui cuſtos eſſet legum

Ecclesiasticarum, eidem ipsas violandas ad demerendam gratiam Principum sæcularium: cavendum, ne illa Pontificis indulgentia ad maximam exempli perniciem statueretur; multaque disputata, scriptaque sunt in utramque partem.

Nec sane dubito, quin hac ætate plerique omnes Innocentium multo impensius commendarent, si paulo liberalius Regiæ voluntati morem gessisset, aut saltem minus fortiter restitisset. Ex hac enim flamma ortum atque excitatum putant vastissimum illud incendium, quod totam Ecclesiasticam auctoritatem deinde corripuit, atque etiam nunc violentissime per universam Europam longe lateque pervagatur. Sed plerumque nec tutum est, consilia ab eventu æstimare, neque admodum facile de rebus sæculo elapso transactis judicium sapienter ferre. Nam & consilia prudentissime inita infœlicissimos exitus non raro habuere, & longo temporis tractu magna fit ingeniorum, magna sententiarum mutatio; quæque tunc constantia appellabatur, quod Innocentius eas Ecclesiasticas sententias fortiter tueretur, quæ apud omnes consultissimos sanctissimosque viros etiam Gallos verissimæ haberentur, nunc fortasse pertinacia diceretur, quum aliæ hominum opiniones vulgo invaluerint, quæ tamen si perdiligenter excutiantur, plus inanitatis habent, quam veritatis.

Verum quum ego historicum agam, non alterutrius sententiæ disceptatorem; hoc loco causam a persona sejungendam puto; atque illud

lud veriſſime dicere poſſe videor, quod nemo, niſi ſtudio partium iniquiſſime abreptus, inficiabitur, Innocentii propoſitum ſanctum rectum incorruptum fuiſſe, & non ab inimico, neque cupido animo, ſed a certa ſtabilique bene agendi ratione profectum; denique nullam ad aliam rem niſi ad officium, & veritatem omnia illius conſilia curas vigilias cogitationeſque ſpectaſſe. Non enim hominum excellentium res geſtas prudentiæ humanæ ponderibus examinari convenit, ſed mentes noſtras ad illam altitudinem virtutis excitari, qua conſtat, eos præditos fuiſſe, qui geſſerunt. Spectandus etiam naturalis Innocentii habitus gravis certus ſeverus, atque ad ſingularem fortitudinis præſtantiam formatus. Virtus enim non immutat naturam hominum, ſed perficit, ut mirandum non ſit, quum tam variæ ſint naturæ hominum, atque inter ſe diſſimiles, non eadem etiam eſſe genera Sanctitatis. Quare laudentur quidem alii, qui naturæ habitu fuerunt ad facilitatem, lenitatemque procliviores, atque in hoc diſſimili genere virtutum præſtiterunt, ſed non ita laudentur, ut reprehendendus ſit, qui natura inſitam quamdam gravitatem, & fortitudinem animi omnibus ſuis cogitatis dictis factiſque declaraverit. Qualis Innocentius fuit, qui quum ita eſſet comparatus, ut maximæ ſibi religioni duceret, Pontificiæ auctoritatis defenſionem fortiter non ſuſcipere, ſimul in animum induxerat ſuum, ſibi non licere in ea controverſia de Lugdunenſis Concilii decretis aliquid remittere. Habebat con-

ſentientes nonnullos Galliæ Epiſcopos, quos & ſanctitate, & doctrina aliis antecellere arbitrabatur. Horum principes, & ſigniferos fuiſſe conſtat Epiſcopos Alectenſem, & Apamenſem, qui Regiæ voluntati ſe ſe quaſi muros pro domo Dei oppoſuerant. Cæterum ne in ipſo quidem controverſiæ æſtu verbum ullum Innocentio excidit, quo non egregia quædam erga Chriſtianiſſimum Regem voluntas ſignificaretur, quod profecto non leve argumentum eſt, Innocentium quicquid in ea controverſia egerit, non cupide non iracunde, ſed recte, & conſtanter egiſſe.

Falſo autem leviſſimi ſcriptores nonnulli memoriæ prodiderunt, Pontificem iccirco erga Ludovicum minus obſequentem fuiſſe, quod jamdiu Nationi Gallicæ fuiſſet infenſior. Atque hujus abalienationis cauſam repetunt a fabella quadam ſingularis certaminis, quod Innocentio in juventute fuiſſe cum milite Gallo, a quo etiam vulnus accepiſſe excogitarunt. Quæ omnia falſa, temere, impudenterque ficta comperta ſunt. Quin immo illud eſt exploratum, certiſſimiſque monimentis teſtatum, Innocentium, Cardinalis adhuc quum eſſet, Alexandro VII. auctorem, & conſiliarium imprimis, atque impulſorem fuiſſe, ut in Pontificios milites, qui Regiæ Legationis jura violaſſent, ſeveriſſime animadverteret, atque omni ratione Regi Chriſtianiſſimo ſatisfaceret. Extat auctor valde bonus Philippus Caſonius, qui vitam Ludovici XIV. deſcripſit; extant Comitiorum Pontificiorum Ephemerides, ex

qui-

quibus intelligitur, Gallorum Cardinalium præsertim opera, atque suffragiis summam Innocentio dignitatem delatam fuisse. Præterea nobilibus ille Gallicis viris familiariter utebatur, ac doctioribus illius Nationis hominibus impense favebat. Sed nullum majus Pontificiæ benevolentiæ argumentum erga Christianissimum Regem solicitudine illa vere paterna, quam Innocentius præsetulit, ut Ludovici major natu filius (quem Delphinum vocant) sancte instituereur.

Quum enim Bossuetius Episcopus Condomnensis, ac Delphini Institutor, quam doctissimo eruditissimoque libro complexus fuerat, explanationem Doctrinæ Catholicæ Summo Pontifici dono misisset, eo munere delectatus est Innocentius, Pontificiasque literas, quibus egregium illud opus rite approbabat, & auctorem meritis laudibus prosequebatur, Legato Apostolico, qui Lutetiæ Parisiorum versabatur, ad ipsum Bossuetium deferri jussit. Eidemque Legato Apostolico summopere commendavit, ut dum has Pontificias literas traderet, Bossuetio denunciaret, ne gravaretur certiorem Innocentium facere, quam viam rationemque instituisset Delphini ad optimas artes ab ineunte ætate informandi; eam enim cognitionem maximæ Innocentio voluptati fore, qui Regem Regiamque sobolem præcipua quadam caritate complecteatur. Morem statim gessit Bossuetius, atque incensæ Innocentii cupiditati egregie satisfecit prolixiore latina epistola, in qua summa eloquentia cum

ſumma pietate doctrinaque conjuncta mirum in modum elucet. Et illa quidem regiâ Inſtitutione nulla elegantior, nulla ſanctior, nulla maximo Principe dignior excogitari poteſt. Beatum vero ſe dicit Boſſuetius, qui tanta in re tantum Pontificem, Leonem alterum, alterum Gregorium, immo Petrum adjutorem habeat, putatque a Deo iſtam Innocentio mentem injectam fuiſſe, ut ad ſuos labores reſpiceret, quos in Delphini inſtitutione maximos, graviſſimoſque ſuſceperat. Atque utinam cæteros Principum Inſtitutores etiam nunc non puderet eandem ingredi viam, quam præclariſſimum illud totius Galliæ ornamentum, ac lumen ſe inſtitiſſe gloriatur. Utinam egregium hoc opus ab iiſdem legeretur, profecto intelligerent, ita imbuendas eſſe teneras Principum mentes, ut nihil Religione prius, nihil antiquius habeant, ut omnia ad illius amplitudinem, ac ſanctitatem revocent, ut nihil agant, nihil moliantur, quin eam in conſilium adhibeant; ita enim & Regnorum ſtabilitati, & fœlicitati populorum, & ipſorum Principum veræ, ſolidæque gloriæ egregie conſultum iri. Religio enim ut ſemel animo inſedit, atque altius radices egit, non cavet modo, ne imperio Principes pro libidine abutantur, ſed omnino efficit, ut temperantia, fortitudine, æquitate, miſericordia, beneficentia ſummo Deo, cujus vicariam in terris poteſtatem gerunt, quam ſimillimi ſint. Sed neſcio qua publica calamitate hujuſmodi libri e Principum manibus excutiuntur, atque in pretio ſunt

te-

tenebricosissima quædam opuscula ab Etherodoxis plerumque in nostras usque Regiones immissa, eaque Regiis alumnis perlegenda traduntur, ut siquid bonæ frugis ex optima ipsorum indole expectari potest, veluti in semine interimant! Hæc fuit germana, & Pontifice digna erga Ludovicum caritas; ex qua facile perspici potest Innocentium non Gallis modo non infensum fuisse, sed addictum potius atque devotum.

In illa autem de Regalia controversia, in qua neglecti Apostolici muneris culpam pertimescebat, Ludovico Magno morem non gerendum duxit, sed fortiter repugnavit, atque id crebris solebat usurpare sermonibus, se quidem patienter laturum, ut in ultimas terras summa quum ignominia pertraheretur, quam de sententia, quam justitiæ veritatisque plenissimam existimabat, dimoveri posset. Hæc autem quum diceret, ex ore atque oculis Innocentii mira quædam constantiæ vis, atque ingens divinæ opis fiducia eminebat. Quæ quidem Pontificis constantia ipsi Ludovico Magno admirationi fuit. Is enim quamquam Innocentio obstaret, tamen illius sanctitatem veritus, nunquam insidiosis assentatorum consiliis acquievit, qui ferociora illi suadebant, auctoresque imprimis erant, ut Galliarum omnium Patriarcha a Rege constitueretur, qui si minus verbo, re quidem certe a primo Ecclesiæ capite sejunctus esset.

Neque tamen Sacerdotalis animi robur quum præsto Innocentio fuerit, consilium & pru-

prudentia defuit. Itaque cautionem adhibuit maximam, ut ſuperbiæ, quæ falſa eſt magnitudinis animi imitatrix, ſuſpicionem omnem a ſe amoveret. Pulcherrimas ſæpe ad Ludovicum literas dedit, in quibus conſiliorum ſuorum integritas mirifice apparet. In illis enim ſæpe ad ultimas preces ita deſcendiſſe videtur, ut omnis controverſiæ a Deo, atque ab ipſius Regis munificentia, animique amplitudine exitum ſibi polliceatur.

Sed reliqua perſequamur. Quum, ut jam ſuperius indicavimus, Calviniſtæ Galliarum Regno infenſi infeſtique eſſent, quibus impune liceret poſt Nannatenſe Edictum, quod ſpecie conſtituendæ inter cives pacis præpotens Hæreticorum aſtutia jampridem extorſerat, ea res Summorum Pontificum animum angebat, atque Innocentius non ſemel Chriſtianiſſimo Regi auctor fuerat, ut, quas Reipublicæ vitioſas partes ſanare non poterat, exſecaret. Is tandem & Pontificiis hortationibus, & avito Religionis ſtudio excitatus, Galliæ laboranti ſalutem ferre conſtituit, Nannatenſi Edicto revocato, penituſque abrogato. Intellexerat enim maximus ille Rex, ſectarum varietate inducta, ſanctiora ſocietatis vincula abrumpi; idque Reipublicæ prodeſſe nunquam, veræ autem Religioni obeſſe plurimum. Quæ quidem Religio, quum unus ſit Deus, una ita eſt, ut qui plures admittat, is omnes contemnere videatur. Utinam nulli hodie exiſterent, qui humanis rationibus Religionem, quæ res omnino Divina eſt, accommodantes exiſtimant, poſſe

tran-

tranquillitatem Reipublicæ in tanta sectarum colluvie & licentia consistere. Nam qui sapientissimum illud Regis consilium maximopere improbarunt, atque Galliarum regnum, proscriptis tot Calvinistarum millibus, mancum ac debile factum fuisse contenderunt, ii quidem nunquam eo potentiæ auctoritatis amplitudinis gloriæ Galliam pervenisse viderunt, quam post Calvinistas e Regni finibus exterminatos. Hoc opus sane pulcherrimum Ludovico gratulatus est Innocentius amantissimis atque honorificentissimis verbis, ostenditque aliis magnis, & innumerabilibus victoriarum & triumphorum gratulationibus illam esse anteponendam, quæ gloriam veram, & Christianissimo Rege dignam contineret. Fuerunt tamen, qui negarunt Regem fuisse pleniore ore collaudandum; propterea quod cum Calvinistis Jansenistas etiam, aut qui tales insimulabantur, non ejecisset e Regno; in quo subaccusare non verebantur Innocentium, quod illius rei apud Regem auctor, suasor, hortator non fuisset.

Hoc autem loco pertinet ad historiæ fidem, falsam criminationem refellere, quæ in sanctissimum Pontificem conjecta est; perinde ac si Jansenianis ille partibus studuerit. Ac fortasse non erit abs re in hujus maledicentissimæ criminationis auctores inquirere: sed paulo altius repetenda res est.

Jam ab ipsis Christianæ Reipublicæ initiis ea orta est perdifficilis, & obscura quæstio, qua nimirum ratione divinæ Gratiæ vis efficax

cum

cum integra hominis libertate conciliari facile possit. Quæ quidem quæstio ab ea non admodum distare videtur, de qua veteres Græciæ Philosophi diu multumque conflixere, an aliquis scilicet, quum omnia fato fiant, humanæ libertati sit locus. Ac mea sententia, ut in Mamertino freto navigantibus difficillima est periculi fuga, dum enim alterum ex duobus illis infestissimis scopulis vitare diligentius student, in alterum facilius incurrunt, ita in hujusmodi controversia arduum omnino est modum servare, atque eos fines aut attingere, aut non prætergredi, quos ultra citraque si forte consistimus, in gravissima veritatis ignoratione versemur necesse est. Qui enim humanæ libertati paulo impensius favent, plus divinæ Gratiæ detrahunt, quam par est; qui vero divinæ Gratiæ efficacitatem paulo vehementius tuentur, libertatem labefactant, ac funditus evertunt. Quum vero & crebris disputationibus, & monumentis plurimis in lucem editis, nulla hactenus Theologica quæstio aut diutius, aut ingeniosius exagitata fuerit, neque tamen major quædam lux Theologis oborta sit, prudentissimus quisque ita sentit, divinum arcanum hoc esse, adorandum quidem, sed nulla ratione curiosius investigandum.

At Romanus quidem Pontifex Catholicæ veritatis divinitus constitutus interpres & custos, semper diligentissime cavit, ne opiniones, quæ hac in controversia adversis sibi frontibus pugnant, ad evertendam Catholicam
ipsam

ipſam veritatem aliquando conſpirarent, eamque ſemper cautionem adhibuit, ut quid in hujuſmodi quæſtionibus vitandum, conſtitueret. Hinc nullo non tempore rite proſcriptæ, damnatæque Romæ fuere veteres recenteſque de divina Gratia humanaque libertate abſurdæ, impiæque opiniones Pelagii, Calvini, Lutheri, addantur Janſenii quoque, e cujus libris hauſta doctrina multas nuper turbas excitaverat. Clemens etiam VIII. in celeberrima illa, quam vocant, Congregatione *De auxiliis* a ſelectiſſimis Theologis perdiligenter ſententiam expendi juſſit, quam Molina in Theologiam nuper invexerat. Quumque nihil contra ab eo doctiſſimorum hominum cœtu definitum fuiſſet, Moliniſtæ veluti triumphum ducere, ſuiſque adverſariis ferocius inſultare cœperunt. Extiterunt deinceps Janſenii Iprenſis Epiſcopi ſectatores, quibuſcum perpetuum, ac inexpiabile bellum ſibi gerendum exiſtimarunt Moliniſtæ, qui quidem a Janſeniſtis non modo in ea controverſia, quæ de divina Gratia erat, verum etiam in aliis plurimis toto cælo abhorrebant. Moliniſtæ enim, dum ſubtilius ratiocinantes omnia ad logicas leges expendunt, Evangelicæ doctrinæ ſeveritatem penitus ſuſtuliſſe, laxiſſimaſque opiniones induxiſſe arguebantur. Janſeniſtæ vero divinæ legis ſeveritatem adeo urgebant, ut vix aut ne vix quidem ſervari ea poſſe videretur. Itaque accidit, ut qui auſteriorem vitæ rationem aut ipſi excolerent, aut aliis commendarent, vulgo ut Janſeniani erroris ſectatores male ab imperitis audirent.

Sed

Sed ut ad historiam revertar, ubi primum (tempora enim sedulo distinguenda sunt) Alexander VII. Formulam edidit, in quam ab omnibus jurandum esset, qui Catholici in Gallia censeri vellent, non leves in florentissimo illo Regno turbas, obtemperantibus aliis, aliis recusantibus, ea res excitavit. Sed quum deinceps Clemens IX. controversiam illam componere studuisset, fuit aliquando discordiarum finis, atque a periculosis dissensionibus Ecclesia conquietura videbatur, idemque Ludovicus Magnus numismata cudi curaverat, quæ Galliæ hac de re pacem, tranquillitatemque repræsentarent. Nulla postmodum, Clemente X. regnante, mutatio facta est, eademque tranquillitas Innocentium XI. excepit. In hoc rerum statu scripsit epistolas nonnullas Innocentius ad eos Episcopos, quos commemoravimus, scripsit ad Antonium Arnaldum, hominem summa eloquentia doctrina ingenio præditum, & in sacris literis & Ecclesiastica historia præstantissimum. Hoc literarum commercium offendit apud quosdam Theologos, qui sibi videbantur soli ea pernoscere, quæ de gratia, & libero arbitrio disputantur, & aulici ipsi quum essent, & in aula gratia & auctoritate plurimum valerent, quos suis sententiis adversari suspicabantur, statim Janseniani erroris insimulabant. Neque desunt, qui contendant discordiarum & dissensionum omnium, quæ Innocentio cum Ludovico magnæ, & sempiternæ fuerunt, auctores & principes hujusmodi homines extitisse.

Sed

Sed non erat certe eo tempore causa, cur Innocentius sibi nefas duceret, aut ad Episcopos scribere, aut Arnaldum tueri, quos id temporis non liqueret scitis Romanorum Pontificum pertinaciter refragari. Agebat igitur Innocentius auctoritate, agebat consilio, agebat exemplo decessorum suorum: quid Ecclesia, quid se dignum esset, quid ipse esset, quid spectare unice deberet, diligentissime cogitabat. Legantur Epistolæ ipsæ ad Episcopos, quos nominavimus, ab Innocentio datæ. Nonne omnia summum tuendæ Religionis, ac Pontificiæ auctoritatis studium declarant? Ne unum verbum quidem est, quod in malam partem accipi ac detorqueri possit. Ad Arnaldum vero quod attinet, personabant quotidie aures Innocentii famâ, & laudibus doctissimi viri. Quid mirum igitur, si Pontifex sibi volumen alterum de *Perpetuitate Fidei* ab Arnaldo inscribi dedicarique permiserit, si humanissime responderit, si denique consilium etiam susceperit ejusdem in Cardinalium Collegium cooptandi, ut eum Ecclesiæ Romanæ rationibus arctius adjungeret? Equidem hoc non dubito dicere (quæ tunc bonorum omnium opinio fuit) si ea dignitate, tantoque Pontificis beneficio Arnaldus ornatus fuisset, aut nunquam desipuisset, aut certe resipuisset: ac nemo profecto etiam num est, qui vehementer non doleat, tantum illud ingenium non semper meliorum partium fuisse. Huc accedit, quod Arnaldus in suis ad Pontificem literis nunquam non summum obsequium præseferat, atque Apo-

postolicæ Sedis judicio se omnino obtemperaturum polliceatur.

At enim quum ad Arnaldum Innocentius scriberet, jam fama quædam manaverat, eumdem labe Janseniana imbutum esse; Ita ne igitur hujusmodi incertis rumoribus fides a sapientissimo Pontifice adhibenda fuit, ea de re, quæ nisi multâ disputatione, multo sermone, sine firmissimis asseverationibus cognosci non potest? Difficillima enim omnium dijudicatio existimatur, in qua non verba, sed animi sensus ad examen revocantur. Præterea quis ignorat, aliorum criminum, quorum reus agebatur, Arnaldus, falsitatem Pontifici innotuisse? Fuit igitur sapientiæ, fuit gravitatis Innocentii hujusmodi levissimis rumoribus non commoveri. Sed qui Arnaldi inimici erant, volebant suarum inimicitiarum fautorem, & socium esse Pontificem: volebant jure ac injuria, æque benedicta & maledicta Arnaldi omnia repudiari. Et cum sua levitate, tum favore aulico elati, tantum audebant, quantum cogitabant; nihil autem non audebant in eos, quos suarum partium non esse, aliasque a suis opiniones sequi intelligerent: adeo verum est, nullas esse acerbiores inimicitias, quam quæ a concertationibus ingenii atque doctrinæ proficiscuntur. Certe non defuerunt, qui certissimis monumentis testatum affirmarunt, iisdem auctoribus excitatum Tallonium seditiosam illam concionem publicasse, in qua nemo non videt vafrum, ac veteratorium ingenium, partium studium, exulceratum animum, ulciscen-

di

di libidinem, ſuperbiam, arrogantiam, temeritatem. Horret etiam nunc animus, ac refugit ea perlegere, quibus ille auſus eſt inceſto ore ſanctiſſimi Pontificis exiſtimationem proſcindere, eumque accuſare quaſi proditorem, ac prævaricatorem Fidei, qui ejuſdem tutor, ac vigilantiſſimus cuſtos habebatur, & erat. Sed hanc Tallonii concionem pleniſſimam erroris, & impietatis Auctor Gallicus libro Gallice edito, qui non multo poſt etiam latine verſus eſt, diſertiſſime confutavit. Quamquam una, eaque ad celebritatem Innocentii ſanctitatis maxima defenſio petenda eſt ex epiſtola univerſæ Gallicanæ Eccleſiæ ad Hæreticos ſcripta, qua in epiſtola negat Gallicanus Clerus, *tempus offerri illis opportunius ullum poſſe, quam quo Romanam Eccleſiam gubernat Innocentius Pontifex, cujus vita, & mores ad antiquioris ac ſeverioris diſciplinæ formam exacti, perfectum ſanctitatis exemplar orbi exhibent Chriſtiano, ut ad eum ſe adjungere virtutis omnis cultorem eximium, maximæ virtutis opus ad ſalutem, perinde ut ad gloriam in vobis futurum ſit.* Verba ſunt hæc omnia epiſtolæ illius, nihil addo de meo.

Huic Cleri Gallicani ſententiæ mirum in modum ſuffragantur permulta, eaque veriſſima laudum teſtimonia, quæ ab Hæreticis ipſis eo tempore tributa fuiſſe integritati, abſtinentiæ, ac ſeveritati Innocentii legimus; ita quidem, ut ſuſceptum ab ipſis odium adverſus Romanam Eccleſiam vel ſedatum, vel reſtinctum eſſe videretur. Innocentius homo fuit

æquus, humanus, abstinens, profusus in pauperes, sibi severus, aliis mansuetus, & facilis, & plane dignus eo honoris gradu, quem obtinebat. Hæc verba sunt Etherodoxi auctoris, qui vitas Romanorum Pontificum descripsit. Atque eadem scribendi ratione usi sunt permulti Hæretici auctores, quos silentio prætereo; quum vigeat etiam num opinio Innocentii sanctitatis apud multas Nationes, quæ a nobis de Religione dissentiunt.

Audivi ego ex Joanne Francisco Stoppanio, Cardinali virtute doctrina prudentia, & permultis Romanæ Reipublicæ muneribus obitis præclarissimo, quum diceret, se, quum Legatum Apostolicum agens iter per Germaniam faceret, Norimbergam pervenisse, & quum a summo Magistratu omni humanitatis & honoris significatione exciperetur, sibi ostensum fuisse Innocentii XI. Breve ad Norimbergenses conscriptum, quod in tabulario Civitatis, quasi sacrum aliquod & religiosum Depositum, diligenter asservatur. Tanta est apud ipsos erga optimi Pontificis memoriam reverentia, quasique cultus!

Hæc satis ad virulentissimas criminationes adversus Innocentii Religionem retundendas. Cæterum incredibile dictu est, quam intimis sensibus aversaretur universos errores, qui Catholicam veritatem aliqua ratione violarent. Nam de Janseniana labe si sermo habeatur, nihil quidem curæ, studii, laboris, operæ prætermisisse videtur, ut illa penitus deleretur. Vix enim ad Summum Pontificatum evectus ad

ple-

plerosque omnes Belgii Episcopos, qua in provincia pestis illa maxime grassabatur, literas dedit, quibus studiosissime pollicetur, suas neminem partes in arcendis ab Ecclesia Catholica profanis illis novitatibus esse desideraturum. Quum autem Tornacensis Episcopus quædam sibi concedi postulasset, quæ Innocentii X. atque Alexandri VII. Constitutionibus repugnarent, id acerbissime tulit Pontifex, & non modo Episcopum jussit illorum Pontificum decretis statim obtemperare, sed etiam diligentius curare, ut ab omnibus, quotquot in eadem Tornacensi Ecclesia versarentur, sine controversia obtemperaretur.

Iprensis etiam Episcopus certiorem Innocentium fecerat, non deesse in Belgio complures magno suo cum dolore, qui se quidem Catholicos affirmarent, licet in nonnullis opinionibus, quas jam antea Romani Pontifices erroris convictas damnaverant, cum Bajo Jansenioque sentirent. Vehementer gavisus est Innocentius, Iprensi Ecclesiæ tandem aliquando obtigisse Pastorem, qui quum ipse a pravis novarum opinionum commentis abhorreret, tum diligenter caveret, ne cæteri iisdem opinionibus temere imbuerentur; quin immo eam causam, Patribus in consilium adhibitis, quum plane cognitam atque explicatam habuisset, rescripsit quid facto opus esset ad Janseniani erroris fibras omnes evellendas.

Sed his omissis, quæ negligi potius, quam refelli debent, quanto erga Catholicam Religionem studio incensus fuerit, proclive est diju-

dicare. Summus enim Turcarum Imperator (Magnum Wizirum appellant) cum innumerabili instructissimoque exercitu, quem ad trecenta usque militum millia auxerat metus, Vindobonam repentino adorsus incursu, quum eam arctissima obsidione cinxisset, maximum non modo Urbi illi, sed toti Germaniæ, Italiæque terrorem intulerat. Cæsar ipse Leopoldus cum desperasset, contra immensam hostium multitudinem tueri eam Urbem diutius posse, una cum tota augusta Familia se Lentiam receperat, atque vix celeri fuga cavere potuerat, ne ab hostibus interciperetur. Civitas tamen, quamquam in summo luctu, atque in omnium rerum desperatione jaceret, non minus pertinaciter ab Turcarum exercitu oppugnata, quam constanter ab Austriacis defensa est. Sed jam vi tormentorum plus centum, disjectis dirutisque mœnibus, ac penitus solo æquatis, de Vindobonæ salute actum erat, si in eam Urbem, ad cujus portas jam munitionibus, operibusque pervenerat, toto exercitu irrumpere summus Turcarum Imperator statuisset. At præpotens Deus, ac Dominus exercituum, diurnis nocturnisque Innocentii precibus (ut opinio tum fuit) exoratus, hanc Magno Wiziro dementiam injecit, ut, quam certissimam victoriam in manu habebat, turpi avaritia corrumperet. Quum enim intelligeret, deditione facta, Vindobonæ opes in suam unius prædam cessuras, quæ, vi capta, ad rapinam militum devenissent, ad id consilii descendere cunctabatur, fore sperans, ut Austriaci quamprimum
de

de deditione acturi essent. Hæc quidem Imperatoris cunctatio & Vindobonæ saluti fuit, & rem Turcicam perdidit.

Fortissimus enim Poloniæ Rex Joannes Sobieschius, & Germaniæ Principes plerique omnes, crebris & præfervidis Innocentii epistolis excitati, & magna nummorum vi adjuti, ad Sedem Imperii ab extrema pernicie vindicandam interea convolarunt: tum enim ab Christianorum armis in hostium castra impetu facto, Turcarum exercitus cæsus, fugatusque est; ac Vindobona, quæ triginta plus diebus acerrimam oppugnationem mira virtute sustinuerat, summa Christiani exercitus gloria liberata est.

Statim de luculenta, insperataque victoria nunciis ubique perlatis, nullus fuit in Italia, ac præcipue in Urbe Roma lætitiæ modus. Statim in omnibus ferme templis immortales gratiæ Deo habitæ. Non mediocrem pecuniam in pauperes tribui, reseratisque carceribus obæratos libertate donari, atque creditoribus ære suo fieri satis Innocentius jussit. Incredibilem Urbis lætitiam auxit primum exercitus Vexillum, quod apud Turcas sacrum superstitiose servatur, a Poloniæ Rege per Thomam Talentium Civem Lucensem, ipsius Regis ab epistolis, missum ad Pontificem, qui illius victoriæ auctor præcipuus habebatur. Et merito quidem: Nam quo tempore Vindobona infinità illà Turcarum multitudine obsessa erat, atque oppugnata vehementissime, non satis explicari potest in quanta solicitudine atque angore

 ani-

animi diu noctuque Innocentius versaretur. Sæpissime familiares illum reperiebant ante Christi cruci suffixi imaginem provolutum, collachrimantem, gementem, ejulantem, & manibus supplicantis in modum conjunctis pro Christianæ Reipublicæ salute causam agentem apud illum ipsum, cujus Vicarius divinitus ipse fuerat constitutus: ut nemini dubium sit, insignem victoriam illam magis effusis ad Deum precibus Innocentii, quam Ducum & militum armis acceptam referri debere. Hæc autem communis omnium opinio apertissime declarata est eo die, quo Innocentius Purpuratis cum Patribus, & Episcopis, aliisque Civitatis nobilioribus ad Basilicam Liberianam sese contulit, Deo, ac Deiparæ Virgini de tanto beneficio gratias acturus. Tum enim ex omnibus locis tantus concursus factus est, ut ipsæ regiones ex suis convulsæ sedibus obviam prodire viderentur ad complectendum liberatorem Christianæ Reipublicæ. Tum omnes omnium ætatum, omnium ordinum plenissimis viis, viri mulieres ex oppidis atque agris sese effuderunt cum conjugibus & liberis, ut Innocentium, non ut mortalem, sed lapsum de Cælo Pontificem intuerentur, ac colerent. Quos tamen plausus, gratulationesque ille ipse, uni exercituum Deo acceptas referebat; sæpissime illa repetens: *Dextera tua Domine percussit inimicum.* Quæ verba nummis etiam, qui eo anno cusi sunt, incidenda curavit, ut perenne grati animi erga divinam opem monumentum extaret. Quinimmo in tanto plaudentium populo-

pulorum motu, ac ſtrepitu ita ſeſe modeſtum, atque demiſſum præferebat, ut nullum triſtiorem diem habuiſſe familiari ſuo profeſſus ſit, illo die, qui lætiſſimus ab aliis, glorioſus, ac triumphalis exiſtimabatur. Quumque ea victoria in Idus Septembris incidiſſet (qui dies Vindobonæ alter natalis dies vocari jure poteſt) decrevit, ut per id tempus quotannis Feſtum Mariæ Nominis, cujus patrocinio victoriam referebat acceptam, perpetuo ſolemnique ritu celebraretur.

Inſequenti anno, eodem ſequeſtro Pontifice, novum fœdus inter Leopoldum Cæſarem, Sobieſchium Poloniæ Regem, Venetamque Rempublicam initum eſt, quo ex fœdere immenſæ propemodum utilitates in Chriſtianam Rempublicam univerſam profluxere. Partam enim ſub ipſius Viennæ mœnibus victoriam multo plures, neque minoris momenti, incredibili celeritate conſequutæ deinceps ſunt. Strigonium, Noeſelium, Buda Taurunum fortiſſima Turcarum tyrannidis munimenta fœliciter expugnata. Quicquid in Hungaria, Dacia, Mœſia perpetuis Chriſtianorum cladibus Turca occuparat, breviſſimo paucorum menſium ſpatio recuperatum eſt. Nec terra tantum, ſed mari quoque Chriſtianæ Ditionis fines Innocentii cura ſubſidiiſque prolati. Aucta enim atque inſtructa, Pontificiâ pecuniâ Pontificiiſque triremibus, Venetæ Reipublicæ claſſis in Ionio Ægeoque mari bene fœliciterque rem geſſit, captâ Epiro, receptis Dalmatiæ littoribus,

bus, expugnatâ veteri Achaia, ac Lacedemone Athenisque devictis.

Quum læta omnia, & secunda Romam perferrentur, is lætitiæ quasi cumulus accessit, ut Jacobus II. Magnæ Britanniæ Rex, vix Carolo Fratre mortuo Regnum adeptus, multa cogitaverit, multa præstiterit pro Catholicæ Religionis bono; imprimisque publico Edicto impiam & nefariam Elisabethæ Reginæ legem abolendam curaverit, qua lege tenebatur, si quis ad munera Reipublicæ accederet, Religionem Romanam execrari; mox postquam Ferdinandum de Abdua Archiepiscopum Amasiensem Apostolicum Nuncium de accepto Regno Pontificis nomine gratulantem in magno admirantis populi conventu ac frequentia excepisset, Comitem de Castelmene Legatum ad Innocentium misit. Quæ quidem Legatio eo gratior, jucundiorque ipsi accidit, quod Romæ annos centum & quinquaginta ferme desiderabatur: habitaque ab omnibus fuit veluti munus quoddam divinum singulari ipsius Pontificis pietati tributum atque concessum. Non ea tamen lætitiæ causa stabilis, & diuturna fuit. Quum enim Magnæ Britanniæ Rex, quod Catholicam Religionem palam profiteretur, iccirco hæreticis omnibus esset invisus, magna in omnibus Angliæ Regnis coorta seditio est. Perduelles autem, Batavorum armis opibusque subnixi, cum Rege bellum gerebant, ipsumque de hæreditario Regni jure deturbare omni vi conabantur.

At

At Innocentius nihil non molitus eſt, ut Catholici Principes, atque imprimis Rex Chriſtianiſſimus Regiam illam cauſam ſuſciperent, bellum Batavis terra marique inferrent, Regemque Britannicum Religionis cauſa periclitantem fortiter tuerentur. Sed dum Catholici Principes diverſa partium ſtudia ſequuntur, ſeriuſque illius cauſæ patrocinium ſuſcipiunt; Angliæ Rex, creſcente in dies ſingulos hoſtium numero, fugam circumſpexit, atque una cum Beatrice Eſtenſi conjuge, atque Valliæ Principe in Galliam ſe recepit. Dici vix poteſt, quam acerbe tulerit Pontifex graviſſimam illam Britannici Regis calamitatem. Accito enim Cardinalium Collegio dolorem ſuum palam omnibus fecit, cui quidem dolori ſuo modum aliquem attuliſſe affirmavit ipſum Magnæ Britanniæ Regem, dum ſæviſſimam obortæ tempeſtatis vim forti animo exceperat, ac patriam opes Regnum vitamque ipſam Catholicæ Religioni poſthabere non dubitarat. Tum Galliarum Regi gratias egit, quod Regiam illam familiam ſumma munificentia excepiſſet, eundemque pro ea amplitudine animi, qua ad difficillimas quaſque res incitabatur, ut Stuardiorum cauſam cum Religionis cauſa maxime conjunctam etiam in poſterum tueretur, graviſſimis literis hortatus eſt.

Sed multo ſecus, atque optaverat Pontifex, accidit. Jacobum enim III. Romæ exulantem vidimus, illiuſque virtutes Regias ſæpe admirati ſumus. Superſtites adhuc ſunt filii duo, alter Odoardus natu major, qui admo-

modum adolescens inauditæ fortitudinis documenta edidit. Nam ut avita Regna armis vindicaret, per Anglicis classibus infestum mare in Scotiam pervenit, ibique, tentata belli alea, cum parva suorum manu non contemnendos successus habuit, ac proculdubio de perduellibus triumphasset, nisi aliter placuisset Deo, quo volente aut saltem permittente geruntur ea, quæ cur ita fiant, causas indagare nostrum non est. Alter natu minor Henricus inter Romanæ Ecclesiæ Cardinales cooptatus, factusque Tusculanus Episcopus illius clarissimi Collegii dignitatem, ac Tusculanæ Ecclesiæ fœlicitatem auget in dies.

Jam vero quum in hoc Commentario scribendo non id spectaverim solum, ut, quod munus Historici est, ne quid aut veri tacerem aut falsi dicerem, sed id etiam refellerem, si quid aut studio partium, aut temeritate, aut ignoratione, & falso errore affictum esse constaret; dissimulare non possum falsam temerarii, sed ignoti scriptoris criminationem, qui asserere non dubitavit, Pontificis artibus regressum in Angliam Jacobo Regi fuisse impeditum. Verebatur scilicet, ne id posset aliquando officere rationibus Austriacæ Familiæ, cui Innocentius præter modum addictus deditus atque obstrictus existimabatur *. Ad quam crimina-

---

* C'est qu'il craignoit plus l'agrandissement de Louis XIV. qu'il ne souhaitoit l'agrandissement du Catholicisme. *Bayl. ad V. Elisabeth.*

minationem refellendam valent, quæ a Bælio afferuntur in Dissertatione illa *, quam adversus obscuros libellorum auctores edidit. Hos enim harpias vocat, quæ suorum libellorum intolerabili fœditate veritatem historiæ contaminant. Et facete irridet illos hujusmodi libellorum investigatores quasi canes venaticos, qui si fortasse unum e pulverulentis bibliothecarum angulis extraxerint, sibi plaudunt, triumphant, & imperitis obtrudunt, tanquam historicum aliquod opus verissimum atque admirandum. Quid! quod rem serio agens Principum opem justitiam auctoritatem implorat contra illos violatores fidei, ac Religionis, quibus maxime rebus historia munita esse debet, ut actiones hominum excellentium memoriæ posterorum commendentur, & utilitati deserviant. Sapienter hoc quidem, & verissime pronunciatum. Sed liceat mihi hoc loco Bælium Bælio opponere, liceat ex eo quærere, cur male ominati libelli obscuro auctori fidem adhibeat, ubi de Innocentio Pontifice agitur, quam aliis in pari causa scriptoribus abrogat? Ita enim illo uno teste pronunciat, Innocentii artibus Ludovicum interpellatum fuisse, ne contra Anglos fœderatasque Belgii Provincias Jacobi Regis causam susciperet, perinde ac si cogitatione una frangendæ debilitandæque Gallicæ potentiæ ita vehementer abreptus esset, ut nullam tuendæ Catholicæ Religionis, nullam

* Dissertation sur les libelles diffamatoires.

lam proscripti Principis rationem haberet. Hanc tamen putidissimam fabellam sibi persuaderi facile patitur Bælius ille, ille hujusmodi libellorum hostis perpetuus, additque (si Deo placet) politicas animadversiones suas non paucas. Adeo quicquid præjudicatis nostris opinionibus studiisque favet, facile ac libenter excipitur! At quam repugnantia, quam falsa ille confidentissime affirmavit, quam multa etiam, quæ in Ludovicum ipsum recidere videntur. Quid enim moliri, quid agere posset Pontifex inermis & pecunia imparatus, quam in bellum Turcicum magnam effuderat? Contra vero Ludovicus habebat exercitum maximum, quo si fœderatas Belgii Provincias aggressus fuisset, nunquam licuisset Hollandis, potentissima classe instructa, in Angliam descendere. Hoc enim auxilio fretus Aurantii Princeps Britannicum Regnum non difficulter invasit, quasi in conspectu Regis Galliarum, qui (ut ea tunc fuit historicorum etiam Gallicorum communis opinio) bellum Germaniæ intulit, ut incredibilem illum victoriarum cursum retardaret, quibus de Turcico Europæ Imperio jam actum videbatur. Extat Epistola ab Innocentio XI. ad Ludovicum conscripta *, in qua Epistola graviter copiose vehementerque illum hortatur, & *per viscera Domini Nostri Jesu Christi* orat, ut, quando fœdus cum Austriacis inire detrectet, saltem ab armis adver-

* Dat. 20. Januarii 1683.

versus illos inferendis abstineat. Quod contra accidit. Num autem Ludovico satis justæ causæ suppeterent, cur intempestivo tempore in Germaniam infestis armis impetum faceret; aliorum esto judicium. Profecto neque neglecta cognatæ postulatio, qua quicquid ad patrem fratremque suum pertinuisset sibi hæreditario jure repetebat, neque Coloniensis Episcopatus Clementi, uni ex Bavariæ Principibus a plerisque Canonicis (penes quos jus liberum erat eligendi, quem vellent) attributus, quamquam Galliarum Rex Willelmo Cardinali Furstenbergio palam atque impensissime faveret, tanti fuisse videntur, ut nulla tranquillitatis publicæ ratione habita, statim ad arma deveniretur. Sed Gallorum exercitus in Germaniam irrupit, dum Cæsaris copiæ & nobiliores duces in ultimis Hungariæ Serviæque finibus pugnabant. Philippopolim statim vi cœpit, Moguntiæ, Trevirorum, Bonnæ, Vormatiæ, Spiræ facillime potitus est: Tum Palatinatum adortus, populis nihil sibi tale expectantibus, Haidelbergam, Manenium, cæteraque Germaniæ munitas arces occupavit, atque omnia longe lateque, ferro ignique vastavit. Atque hinc gloriosa illa numismatis inscriptio *Viginti Urbes ad Rhenum uno mense subactæ*. Hæc ita fuisse constat ex perpetua & contexta illorum temporum historia, & propterea non Bælius, non alii ignoti Gallici scriptores, aut vulgi rumoribus, aut assentatione sua in errorem inducti, ubi de Innocentio agatur, audiendi.

Sed

Sed externæ maximæ res, quæ Innocentium ſolicitum habuerunt, non imminuebant curam internarum. Jam ſuperius demonſtravimus, Pontificatum Innocentii in perturbatiſſimum Urbis ſtatum incidiſſe propter intolerandam aſylorum licentiam, quæ facinoroſis hominibus impunitatis ſpem afferebat. Hanc igitur omni ratione coërcendam exiſtimavit; qua in re neſcio, major ne fuerit Innocentii prudentia, an fortitudo animi. Primum enim Principes ferme omnes certiores fieri diligentiſſime juſſit, quam gravia vulgo detrimenta ab hujuſmodi perfugiis in Rempublicam redundarent; cum civium innocentium ſalus quotidie in periculum vocaretur, & ſceleratorum hominum impunita eſſet audacia. Prudenter vero Oratoribus, qui tum Romæ aderant, ultro permiſit, ut eo, quodcumque eſſet, jure uti liceret, donec ab Legatione revocarentur. Cæterum novos Oratores nullos ſe in poſterum recepturum declaravit, neque adeundi ſui poteſtatem facturum, niſi hujuſmodi perfugiorum nullam in poſterum haberi rationem paterentur, idque diſertiſſimis verbis denunciavit. Magni Sanctiſſimo Pontifici ſubeundi labores, multæque devorandæ moleſtiæ fuere, ut ad optatum exitum rem perduceret. Reſtiterunt primo Veneti antiquæ conſuetudinis retinentiſſimi, ſed tum e Republica eſſe putarunt, non irritare iis temporibus Pontificem optimum, & optime de ſe meritum ob admirandam liberalitatem, qua in bello Turcico incredibiles anguſtias, quibus premebantur, pecuniæ publicæ ſuſtentaverat,

quum

quum præſertim apud illos tum ea opinio valeret ſapientiæ pleniſſima, ſuam & Italiæ totius dignitatem atque libertatem non poſſe firmius conſiſtere, quam perpetua illius Reipublicæ cum Romano Pontifice conjunctione animorum.

At Rex Chriſtianiſſimus primum quidem reſpondit, id conſilii capturum, quod cæteri Principes in ea controverſia cœpiſſent, neque porro ſe poſtremum fore, qui Summi Pontificis voluntati morem gereret. Quare ingenti lætitia perfuſus eſt Innocentius; quæ tamen non multo poſt evanuit. A Legato enim Apoſtolico, qui Lutetiæ Pariſiorum verſabatur, venere literæ, quibus certior fit Pontifex, Ludovicum XIV. nihil velle de eo jure remittere, quod Reges majores ſuos ſemper Romæ obtinuiſſe affirmaret. Quum autem ineunte anno MDCLXXXIV. Galliarum Regius Orator vita perfunctus eſſet Romæ, illique juſta honorifica perſoluta fuiſſent, Summus Pontifex apparitores Farneſiano foro (illic enim tum inhabitabant Legati Regis Galliarum) libere diſcurrere, reoſque, ſi qui illuc profugiſſent, comprehendi juſſit, atque in carcerem duci. Tum lege perpetua, cui Cardinales ſubſcripſere plerique omnes, diligentiſſime cavit, ne quis in poſterum id ſibi jus arrogaret; ſi qui ſecus feciſſet, ſacris interdictus eſſet, atque haberetur. Quum autem, qui Romæ tunc erant Poloniæ, Angliæ, Hiſpaniæ Regii Oratores jam Summo Pontifici obtemperaſſent; Lutetiam Pariſiorum ad Cardinalem Ranuccium Apoſtolicum

Le-

Legatum idem Pontifex literas misit, quarum literarum summa hæc erat: cæteros quidem Regios Oratores Summi Pontificis voluntati morem gessisse, sperare se etiam Regium Ludovici Oratorem, quum Romam venisset, communi jure in posterum contentum fore. Quod si Rex Ludovicus contra Summi Pontificis voluntatem animum obfirmasset suum, a novo Oratore Romam mittendo abstineret; Summo enim Pontifici a suscepta sententia discedere non licere, nisi Reipublicæ tranquillitatem, ac salutem, & Principis majestatem prodere vellet. Nihil Legati Apostolici oratione, nihil Innocentii precibus commotus Rex Christianissimus Regium Oratorem statim delegit Lavardini Dominum: Romam proficisci jussit, atque antiqui juris possessionem omni ratione tueri. Lavardinius Romam profectus cum eo armatorum militum comitatu Urbem est ingressus, ut justi exercitus speciem præferret, neque pacifici Oratoris, sed victoris in captam Urbem ingredientis personam repræsentare videretur. Ad ædes Farnesianas quum pervenisset, excubias cum armis, telisque Farnesiano foro disposuit, jussit armatos equites districtis ensibus per vicinas ædes, & vias, ad quas Asyli jus antea propagabatur, dies noctesque discurrere. Tum confidenter sane semel atque iterum efflagitavit, ut ad Summi Pontificis colloquium admitteretur. Tulit hoc graviter Innocentius: statuit tamen in tantis injuriis nihil sibi gravius faciendum, quam ut Lavardinium omni ad se aditu exclusum, tanquam

Re-

Regis Legatum ne tractaret. Itaque universo Cardinalium Senatui, & cæteris, qui aliquam publici muneris curam Romæ gerebant, præcepit, ut a Lavardinii consuetudine abstinerent. At Lavardinius, ut Pontifici imperii contemptum ostentaret, nocte, quæ Natalitia erat Christi Domini, ad Divi Ludovici Templum, quod Gallicæ Nationi addictum est, solemni pompa accedens divinæ rei interesse non dubitavit. Quod quum rescivisset Summus Pontifex, Templum illud atque Ecclesiasticos homines, qui Lavardinium exceperant, statim sacris interdixit. Tum ille contra Pontificem vehementius furere, minas obiicere, pericula intentare, ipsumque Christianissimum Regem per literas acrius inflammare. Cujus quidem jamdiu concepta abalienatio tandem erupit in apertum bellum, quod Innocentio indixit, belli causam prætexens repulsam Lavardinii ignominiosam. Hanc quidem causam & Archiepiscopus, & Senatus Parisiensis cupide & ambitiose (ut solebant omnia) comprobarunt; cæterum illi ipsi rerum a Ludovico præclare gestarum scriptores, & gloriosi præcones in hoc bello requirunt usitatam Regis magnitudinem animi, splendorem, dignitatem; & ad minuendam facti invidiam, ut aliquid afferant, quod minus odiosum videatur, contendunt, tantum dissidium non aliunde profectum esse, quam ab æmulatione illa potentiæ & dominatus, quæ duas inter Familias Borbonicam & Austriacam jam biscentum annis, & tum maxime vigebat, magna cum pernicie Christianæ

Reipublicæ; & quæ tandem aliquando eximia noſtrorum temporum fœlicitate reſtincta fuit. Hac, inquiunt, æmulatione elatus Ludovicus oderat Innocentium, quem amicum inimicorum ſuorum ſuſpicabatur. Sed huic ſuſpicioni reclamitat perpetua agendi ratio Innocentii, omni vacans ſtudio præterquam religionis. Hinc multa Ludovicus minaciter atque hoſtiliter agere cœpit: Avenionem & Comitatum Venaſinum, quæ Pontificiæ ditionis erant, infeſtis armis occupat: Cardinalem Ranutium Legatum Apoſtolicum per ſpeciem honoris a militibus quaſi obſidem cuſtodiri imperat: & propediem in Italiam deſcenſurum minatur ad Innocentium in officio continendum. Hæc res ad expugnandam Pontificis conſtantiam & callide vulgabatur, & temere credebatur in civitate pleniſſima hominum otioſorum, & factis Principum immoderata quadam libertate obtrectantium. Hinc exaudiebantur in ipſa Pontificis aula ſermones & querelæ de Innocentii pertinacia. Ubi enim ſapientia, irritare Regem potentiſſimum, & nunquam a bellis & victoriis conquieſcentem? Ubi amor & benevolentia populorum, qui in maximum diſcrimen hoc bello vocabantur? Reducebatur in memoriam importuna clades, & indigna direptio Civitatis, quæ Clemente VII. regnante contigit. At Innocentius nihil ſe a potentiſſimorum Principum minis atque armis, nihil ab hujuſmodi rumoribus atque ſermonibus metuere, ſe fortunatiſſimum fore, ſi pro tuenda populi ſalute, pro Religione, pro Pontifi-

ciæ

ciæ dignitatis auctoritate ſanguinem, ac vitam profundere cogeretur. Hæc ſenſit & præſtitit Innocentius: cui in tot adverſis temporibus ſemper idem vultus, eadem oratio, idem animus humana omnia deſpiciens, nihilque propoſitum habens præter honeſtatem & Religionem. Cæterum hujus belli exitus, quam honorificus Innocentio fuerit, mox videbimus.

Sub idem ferme tempus Innocentio fœliciter res ceſſit in nova peſtilenti ſuperſtitione extinguenda, quæ quum Romæ primum oborta eſſet, arripuiſſetque non paucos primariæ conditionis, ac dignitatis homines, tum per univerſam Italiam radices egerat, atque in dies latius propagabatur. Michaël enim Molinos Sacerdos Hiſpanus, veterum Gnoſticorum, Illuminatorum, & Beguardorum Hæreſim, & commenta turpiſſime Romæ inſtaurare, atque amplificare auſus, novum ſupplicandi Deo, vel (uti vocant) orationis genus invexerat, quod totum in abſolutiſſima quiete quadam, ſeu potius oſcitantia conſiſteret. Neque enim opus erat, ut intellectus rerum Cæleſtium contemplatione ſibi propoſita, in Deum aſſurgeret, aut voluntas pios animi ſenſus eliceret; immo vero, ſi qui interea minus compoſiti pravique motus ſuborirentur, nefas eſſet ab illa quiete diſcedere, ut hujuſmodi motus aut extinguere, aut compeſcere voluntas conaretur. Incredibile dictu eſt, quam multos tam execrabilis impiaque ſuperſtitio occuparit, quæ latiſſimam ad omne flagitiorum genus pandebat viam. Adeo verum eſt, nullam eſſe ſine ama-

tore fœditatem! Molinos enim ſimulata quadam magnæ pietatis ſpecie in virorum Principum gratiam ſe callidiſſime inſinuarat, eoque tutius peſtiferæ doctrinæ virus credulis atque imperitis hominibus propinabat, quo ſanctior vulgo habebatur. Ac primo quidem ſecretæ indignationes bonorum exaudiebantur. Mox ubi ad publicam querimoniam excedit res, Innocentius hominem in carcerem duci, atque ab iis, ad quos ea cognitio maxime pertineret, de illius perverſitate doctrinæ ſeveriſſimas haberi quæſtiones juſſit. Statim violatæ Religionis Quæſitoribus id curæ fuit, ut peſtiferum illud malum maxima celeritate opprimeretur. Miſſæ per totam Italiam literæ, ut qui in eam fraudem inducti fuiſſent, continuo reſipiſcerent. Libri, quibus perverſa illa doctrina continebatur, publice interdicti, atque ad duodeſeptuaginta Propoſitiones ex iiſdem libris excerptæ ſeveriſſimis cenſuris inuſtæ ſunt. In ipſum impiæ hujuſmodi hæreſeos auctorem ſeveritas animadverſionis temperata clementiâ fuit, quemque ad mortem duci oportebat, perpetuo tantum carcere mulctatus eſt. Ita Innocentius praviſſimam illam hæreſim, quæ in ipſa Catholicæ Religionis Sede ortum duxerat, breviſſimo temporis ſpatio inveſtigavit patefecit extinxit.

Hactenus qualis in imperio, regendaque Chriſtiana Republica Innocentius fuerit expoſui: Ad privatam, & interiorem vitæ rationem quod attinet, frugi illum fuiſſe, moderatum, temperantem, plenum pudoris, officii, Re-

Religionis, vel ex eo facile intelligi poteſt; quod in tanta obtrectandi licentia, quantam ſupra memoravimus, objectum nihil Innocentio fuerit, quo ſignificari veſtigium turpitudinis & nequitiæ poſſet. Etſi enim auctores non pauci ad ineundam gratiam ab iis, quibus inviſus erat Innocentii Pontificatus, multum haberent & ad maledicendum licentiæ, & ad ementiendum animi, nunquam tamen auſi ſunt aut factum, aut fictum cum aliqua ratione, & ſuſpicione proferre, quo innocentiæ ipſius ſplendorem offuſcarent. Nihil illo igitur ſanctius, nihil ſeverius excogitari poteſt. Poſt brevem ſomnum bene mane in cæleſtium atque æternarum rerum contemplatione prolixius verſabatur: tum animo ab omni labecula rite expiato, aut ſacrum facere, aut, ſi per valetudinem minus liceret, ſacro intereſſe ſolitus erat. Hinc autem ſolido integroque die Reipublicæ diligentiſſime operam dabat, neque facile patiebatur ſe ab hac cura interpellari. Nunquam animi cauſa domo prodiit, nunquam in Quirinales, aut Vaticanos pulcherrimos hortos pedem intulit. Plerumque in anguſto cubiculo commorabatur, unde perraro ad exercitationem aliquam corporis per viciniora conclavia deambulabat. Minimi, neque exquiſiti cibi fuit; illudque mirabantur omnes tam vaſtæ molis corpus tam tenui alimonia ſuſtentari poſſe. Præter externa Pontificiæ dignitatis inſignia, obſoleta & vulgari veſte utebatur, quam etiam ſuis manibus reſarcire deprehenſus eſt: neque multo lautior erat Innocentiani cubiculi ſupel-

lex. Quamquam natura ſubtriſtior, atque ad ſeveritatem aliquanto eſſet propenſior, omnes tamen humaniſſime excipiebat, ac nemo ex illius conſpectu diſceſſit, qui non ſanctitatem admiraretur, humanitatem, clementiamque prædicaret. Cum ſtatis diebus in Vaticana, aut Quirinali Æde Eccleſiaſticis muneribus perfungebatur, majeſtas quædam digna Pontifice Maximo ex illius ore, oculiſque eminebat, qua ſpectatores mirum in modum afficiebantur, atque ad ſupremi Numinis cultum, metumque excitabantur.

Sed jamdiu illum vitæ, rerumque humanarum omnium vehementer pigebat. Quamquam enim plurima ſibi in Summo Pontificatu obtigiſſent, ex quibus maximam lætitiam cœperit, non pauca tamen erant, quorum minus fortunatos exitus fuiſſe intelligebat. Hos autem cum nulli magis, quam ſibi propter miram animi demiſſionem tribueret, incredibili quodam animi dolore conficiebatur. Itaque jampridem nihil votis omnibus vehementius expetebat, quam ut ex iiſdem anguſtiis exolveretur, fore ſperans, ut a quo ſibi in Summo Pontificatu ſucceſſum fuiſſet, quæ hactenus minus proſpere ceſſiſſent, facilius fœliciuſque explicarentur. Equidem haud dubito, quin divino quodam inſtinctu mortem ſibi proxime abeſſe Innocentius præſenſerit; nam quum primum tenuiſſimâ febri ejus valetudo tentari cœpit, ſtatim a negociis omnibus abſtinuit, neque exoratus induci potuit, ut curam aliquam ſuſciperet, quæ ad futuræ vitæ beatam

æter-

æternitatem non pertineret. Quæ res in malevolorum voculas incurrit, perinde ac si nimis abjecto fractoque animo esset, qui tam levi morbo correptus, statim humanis rebus nuncium remisisset, omnemque recuperandæ salutis spem abjecisse videretur. Sed quum morbi vis sensim incrementum caperet, atque augeretur in dies magis, non modo obtrectationes illæ brevi compressæ sunt, sed etiam tributa Innocentio laus est, quod multo verius quam cæteri de valetudinis suæ statu judicavit. Interea nulli ad se aditum patere jussit nisi Ludovico Maraccio *, quo ad animi labes Christiano ritu expiandas usus fuerat, & ante Pontificatum, & in ipso Pontificatu. At Maraccius quidem, ut homo erat egregie cordatus, nec minori prudentia, quam pietate præditus, Pontificis animum in rerum æternarum contemplatione defixum, ne morbi vis eam ob causam magis magisque invalesceret, tantisper avocare studebat, nunquam tamen id assequi potuit. Quoties enim ille ex industria

* Ludovicus Maraccius Lucensis e Congregatione Matris Dei vir fuit singulari prudentia, eximia pietate, summa doctrina (ut ejus opera testantur) & a Confessionibus fuit Innocentii XI. quum Cardinalis, & quum Pontifex esset. Hoc enim demonstrat elenchus familiarium Pontificis, hoc asserunt quotquot vitam Innocentii scripserunt, ut mirum videri debeat, qui appendicem ad Ciacconium auctor cæteroquin eruditissimus publicavit, Michaelem Angelum Riccium (qui & Cardinalis fuit) a Confessionibus Innocentii XI. fuisse nullo teste, nullo auctore affirmasse.

alio, quam ad res divinas, ſermonem deflectebat, toties a Pontifice illico dimittebatur. Neque vero gravioribus etiam de cauſis ſolitudinem interpellari ſuam patiebatur.

Erant qui vehementer optarent, ut Cardinalium numerum, quorum omnino decem deſiderabantur, Pontifex ante mortem expleret, atque de ingenti illa pecunia, quam pro Reipublicæ Chriſtianæ bono in ærarium Pontificium contulerat, aliquid vivens ſtatueret. Ad hæc breviter, præciſeque Innocentius: ſibi jam integrum non eſſe de graviſſimis hiſce negotiis deliberare; quum ſibi non amplius ea vis eſſet mentis, quam prudens deliberatio flagitaret; ſe omnia novo Pontifici lubenter permittere, qui quidem ex ea pecunia in ærarium Pontificium congeſta, facile poſſet, ſi vellet, de Chriſtiana Republica, atque imprimis de Pontificia ditione benemereri. Cæterum breviſſimi temporis uſuram ne ſibi inviderent, ac ſe, rebus omnibus poſthabitis, æternæ ſalutis curam gerere paterentur.

Vix quinquaginta poſt dies, quam in adverſam valetudinem inciderat, exorari paſſus eſt, ut a Fratris filio Livio Odeſchalchio inviſeretur: quem quum amantiſſime excepiſſet, multa de humanæ vitæ brevitate, multa de cæleſtis patriæ beatiſſima æternitate prolocutus, ingeneratam Familiæ Odeſchalchiæ in pauperes liberalitatem illi maximopere commendavit, ipſumque etiam hortatus eſt, ut non mediocrem pecuniam in neſcio quas cauſas pias, uti vocant, conferret; quam ſanctiſ-

ſimi

ſimi Patrui voluntatem mox idem Livius munificentiſſime præſtitit.

Interea quum diuturno, graviſſimoque morbo pene confectus eſſet, jam inſtare ſibi extremum vitæ diem monitus, majorem quamdam ore & oculis lætitiam, atque alacritatem præſetulit. Tum nihil habuit prius, quam ut omnibus Chriſtianis ſacris rite muniretur. Quum autem jam nulli Summi Pontificis inviſendi facultas non eſſet, tum vulgo maximæ admirationi fuit Innocentii fortitudo atque conſtantia. Nullus enim gemitus, nullæ querelæ, vox illi nunquam excidit mollior & languida maximos inter dolores, quibus acerbiſſime diſcruciari neceſſe erat. Diſſecto enim poſt ejus mortem cadavere calculi duo non uſitatæ magnitudinis ejus inhærentes renibus inventi ſint. Atque ea tantum verba identidem exaudiebantur, quibus rogabat Deum, ut ſibi una cum fortitudine animi corporis cruciatus augeret. Nemo in ſanctiſſimum illud cubiculum pedem inferebat, quin ad morientis Innocentii conſpectum non vehementiſſime commoveretur. Nemo erat, cui illius virtus, majeſtas, ſanctimonia non gemitus & lachrimas eliceret. Denique quum jam duo ferme menſes inter acerbiſſimos dolores Innocentio fluxiſſent, eſſetque jam biduum, ut ita dicam, cum morte luctatus, pridie Idus Sextiles MDCLXXXIX. hora XXII. inter circumſtantium lachrimas, atque ejulatus placidiſſime, ſanctiſſimeque obiit, ac maximum univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ ſui deſiderium reliquit.

Ut

Ut ex arce Capitolina ſigno edito Innocentii mors Romæ vulgata eſt, jam non plebs Romana, ut in aliorum Pontificum morte aſſueverat, licentius per vias diſcurrere, ac debacchari cœpit, ſed univerſam Urbem ingens mœror, triſtiſſimumque ſilentium occupavit. Nemo enim non intelligebat, obiiſſe Pontificem ſpecimen virtutis, exemplum integritatis & innocentiæ, Religionis præſidium, atque egenorum parentem munificentiſſimum. Quum autem accidiſſet, ut in ipſo mortis articulo cælum, quod tota die ſudum ac ſerenum fuerat, repente denſiſſimis obduceretur nubibus, ac veteris Flaviani Amphiteatri pars quædam prolapſa cum ingenti fragore ruinam duceret; hæc ſupra naturæ ordinem contigiſſe vulgus interpretabatur, ac cælum terramque ipſam in ſui doloris partem adduci exiſtimabat.

Eadem nocte cadaver illius venerandum a Quirinali Monte in Vaticanas Ædes maxima cæremonia elatum ſumma hominum multitudo non ſine lachrimis proſequuta eſt. Quibus vero diebus juſta a Patribus Innocentio rite perſoluta fuere, tantus eo omnium ætatum, atque ordinum concurſus eſt factus, ut Vaticanum Templum omnium ampliſſimum pro incredibili vulgi frequentia anguſtius videretur. Nec vero armati milites, nec ferrea clauſtra ab irruentis populi ſtudiis atque impetu ſacras illas exuvias ſatis tueri poterant, quum quiſque ad eas propius accedere, eas deoſculari, contingere, rapere ſtuderet, iique fortunatiſſimi ha-

haberentur, qui voti compotes facti essent. At Livius Odeschalchius Sanctissimo Patruo anno ab ejus obitu undecimo in Vaticano Templo magnificentissimum, ornatissimumque sepulcrum extruendum curavit; quod tum a Civibus, cum a peregrinis, præsertim ex Insubria non sine quadam Religione celebratur. At non solum in universam Italiam, sed in extremas terras illius eximiæ sanctitatis fama pervasit. Quæ quidem nulla temporis diuturnitate compressa est, sed viget adhuc, vigebitque memoria sæculorum omnium.

Ludovicus ipse statim post Innocentii mortem consilia in melius retulit, sive commotus tantæ admiratione virtutis, sive nativo quodam Religionis sensu, quæ ab illo ne in ipsa quidem dissensionis acerbitate, & militaris gloriæ insolentia, divelli unquam potuit. Nam Lavardinium Roma in Galliam revocavit, Avenionem & Comitatum Venasinum restituit: & in ea controversia, quæ de Regalia fuit, sua Romanæ Sedi dignitas constitit: & si quid de jure Pontificis remissum fuit, id supplicante Rege & bona cum venia Pontificis remissum. Sed quod magis animadvertendum, vix Alexandro VIII. in Innocentii locum suffecto, illico agi cœptum est de abrogandis quatuor illis Propositionibus Romano Pontifici injuriosis, quas commemoravimus, & in Gallia ratas sanctasque haberi Rex jusserat. Quod quidem fœliciter confectum, ubi Alexandro Innocentius XII. successit. Hujus rei certius docu-

cu-

cumentum afferri non poteſt, quam Epiſtola * ipſa ad Innocentium ſcripta die XXIV. Septembris MDCXCIII.: in qua Epiſtola Ludovicus plane explicateque denunciat, id a ſe imperatum fuiſſe, ut in Comitiis Cleri Gallicani Propoſitiones antedictæ funditus repudiarentur. Sed qui res a Ludovico geſtas ſcribunt, ſive ignoratione, vel malevolentia in Romanos Pontifices adducti, hoc illius pulcherrimum factum ſilentio ac tenebris obruerunt. Sint ſane Ludovici actiones magnæ, quæ revera magnæ fuerunt, & Poëtarum carminibus, & annalium monumentis celebratæ. Sed hanc illius mo-

* Tres ſaint Pere ..... J'ai toujours eſperé de l'elevation de Votre Sainteté au Pontificat pour l'avantage de l'Egliſe & l'avancement de notre ſainte Religion. J'en reconnois preſentement les effets avec beaucoup de joie dans tout ce que V. S. a executé de grand, & d'avantageux pour le bien de l'une, & de l'autre. Cela redouble mon reſpect filial puor Votre Sainteté. Et parce que je tache de lui temoigner par les preuves les plus fortes dont je ſuis capable, que je ſuis bien aiſe de faire ſcavoir a V. S. que j'ai donné les ordres neceſſaires, a fin que les affaires contenues dans mon edit du 2. de Mars 1682. concernant la declaration faite par le Clergé du Rojaume (a quoi les conjonctures d'allors m'avoient obligé) *n'avoient point de ſuite* (ſed Archetypon: *ne ſoient point obſervées.*) Et comme je ſouhaite non ſeulement que V. S. ſoit informée de mes ſentimens, mais auſſi que tout le monde ſache par un temoignage public la veneration, que j'ai pour ſes grandes, & ſaintes qualitez; je ne doute pas auſſi que V. S. n'y reponde par toutes ſortes de preuves & de temoignages de ſon affection paternelle envers moi. Cependant je prie Dieu, qu'il conſerve V. S. heureuſement pendant pluſieurs années.

moderationem animi, qua, vetere contentione abjecta, & renovato exemplo ſanctiſſimorum Regum, quorum in ſacra hiſtoria magnum eſt nomen, ſeſe totum judicio atque auctoritati Romanæ Eccleſiæ devovit, equidem, alii, ut volunt, ſentiant, cæteris ejus laudibus antepono; & hanc unam ob cauſam Magni nomen illi tribuendum cenſeo. Etſi autem hæc omnia Innocentii mortem conſequuta ſunt; nemo tamen, niſi iniquus rerum æſtimator & veritatis inimicus negabit, hunc ejuſdem conſtantiæ fructum maximum fuiſſe.

Extiterunt tamen maledicentiſſimi ſcriptores, qui tantæ luci tenebras offundere conati ſunt; exiſtimantes, gratiam inituros a Ludovico Magno, quem etiam (ſi Deo placet) in communi Chriſtianæ Reipublicæ mœrore, ac luctu exultantem inducunt. Atque hujuſmodi impudentiſſimi, & nefarii mendacii teſtes afferunt literas, quas Ludovicus ad ſacrum Cardinalium Collegium ſtatim poſt Innocentii mortem dedit. In his autem literis Rex Patres monet, ut Pontificem deligendum curent tanto muneri parem, illis præſertim temporibus, quum plurimæ longe lateque gliſcerent hæreſes. Quas tamen literas dolo malo ita deformavit Bælius, aut quem ipſe auctorem ſequitur, ut alius inde ſenſus eliciatur, ac ſcriptus fuit. Hoc autem ſtatim incurrit in oculos, ſi verba Bælii cum genuina Regis Epiſtola conferantur. Afferimus autem utriuſque Epiſtolæ exempla, ut videant legentes, quæ hujuſmodi Scriptoribus fi-

fides adhibenda esse videatur *. Cæterum tantum abest, ut Ludovicus de Innocentii obitu lætaretur, ut non semel præseferret illam maledicendi licentiam, qua sanctissimus vir ab impiis hominibus in aula impetebatur, non modo se improbare, sed neque impunitam velle. Sic enim edixit: caverent aulici, ne magno Pontifici obloquerentur, quem constabat fuisse rectæ mentis, & eximiæ sanctitatis hominem. Sed quid plura commemoro? Extant Philippi V. Hispaniarum Regis literæ ad Clementem XI. scriptæ, quibus hunc Summum Pontificem impensius rogat, ut de cælestibus honoribus Innocentio decernendis quamprimum agat. Jam vero Philippus Rex nunquam profecto hujusmodi causam commendandam suscepisset, si avum erga se amantissimum, atque beneficentissimum, & cujus penitiores animi

---

* BÆLIUS. (a)

Nous avons apris par votre lettre de ce mois la mort de notre S. P. Innocent XI. & nous avons juste sujet de croire, qu'il a plu a sa Divine Majesté de le retirer du Monde en un tems, ou toutes les forces de l'Heresie reunies semblent tramer la ruine de notre Religion.

(a) *Dictionnaire par Pierre Bayle Tome second, Article Innocent XI.*

REX.

Nous avons par la lettre du 13. passé la mort du Pape Innocent XI. nous avons juste motif de croire, que dans un tems, que les heretiques s'unissent ensemble pour la ruine du service Divin, & mettre la division entre les Princes Catholiques, qu'il est tres necessaire a toutes la Chretienneté de choisir un Pontife, qui ait les qualités requises pour bien gouverner le S. Siege.

mi ſenſus haberet perſpectiſſimos, longe aliter de Innocentii ſanctitate ſentire arbitratus eſſet. Quin immo non dubito dicere, ſi, quo tempore inſtituta cauſa eſt de Canonizatione Servi Dei, Ludovicus adhuc vixiſſet, ſuo ſuffragio eidem juvandæ cauſæ fuiſſe acceſſurum.

Hactenus vitæ, & morum Innocentii non expreſſam quidem atque expolitam, ſed vix inchoatam atque adumbratam imaginem exhibuimus; ejuſmodi tamen, ut nemo negare audeat, eum cum magnis illis, ſanctiſſimiſque Romanis Pontificibus comparandum, quorum memoria divinis honoribus conſecratur. Nulla enim in eo virtus deſiderata eſt, quam ea maxima dignitas, ac difficillima tempora, quibus Rempublicam geſſit, flagitare viderentur. Summa tamen in egenos inopeſque miſericordia ac liberalitate, ſummo ſtudio tuendæ propagandæque Religionis, ſumma denique conſtantia mirum in modum excelluit.

Atque illud vere affirmari poteſt, Innocentii munificentiam ad omnes ferme perveniſſe, quam ad ſuos. Quum enim mira in conſanguineos abſtinentia, magna in aulicos parſimonia nunquam non uſus fuerit, in cæteros immenſas propemodum opes liberaliſſime effudit. Beneventum, aliaſque Piceni, Umbriæ, Æmiliæ Civitates magnis terræmotibus concuſſas, vel labefactatas maxima pecunia juvit. Mamertinis Civibus plurimis, qui domi ſuæ nobiles ac pecunioſi habebantur, ſed quum in perduellionis ſuſpicionem veniſſent, patria exulabant, ita liberaliter præſto fuit, ut illis in hoc ſplen-

ſplendore Urbis vitam degere honeſtiſſime liceret. Quamquam publicum ærarium non mediocri ære alieno obſtrictum eſſet, Romam, Pontificiamque Ditionem non paucis, iiſque graviſſimis vectigalibus liberavit; centum nummum aureorum millibus in publicum cenſum relatis. Plurimas inſtituit domos, in quibus pueri puellæque inopes & gratis alerentur, & probe inſtituerentur. Atque ampliſſimæ illæ duæ ædes, altera in Porticu Octaviæ prope vetus Marcelli Theatrum, altera ſecundum Tiberim e regione Montis Aventini, quarum ſumma utilitas jamdiu explorata atque perſpecta eſt, erunt profecto Innocentii XI. atque totius Odeſchalchiæ Gentis beneficentiæ teſtimonium ſempiternum. Plus vicies centena millia dono dedit Principibus Chriſtianis ad nervos Turcici belli. Hanc tantam liberalitatem Auguſti Principes Auſtriaci, qui maximam pecuniæ partem ad ſe perveniſſe ſenſerant, ut grato animo, regiaque munificentia proſequerentur, Odeſchalchiam Familiam in potentiſſimam, ac perpetuam ſuam clientelam receperunt, & ampliſſimo Sirmii, aliorumque in Hungaria oppidorum dominatu, & Principis Imperii titulo, atque omni genere ornamentorum auctam voluerunt.

Ad Catholicæ Religionis ſtudium quod attinet, orbem univerſum magnitudine animi, atque invictis perpetuiſque laboribus complexus eſt, eoque primum curas omnes intendit, ut eam Principes maxime colerent, & tuerentur. Quum que intelligeret eandem Religionem,

quæ

quæ charitatis vinculo maxime continetur, in certiſſimum diſcrimen vocari, ſi Chriſtiani Principes diſſentirent, nihil reliquum fecit, quo ipſi pacem inter ſe conſtituerent. Rebus enim compoſitis, & vocatis ad arma Gentibus, & Nationibus, quæ pro Chriſto emori poſſent, ac vellent, ſperabat ubique gentium elatum, & cultum iri Vexillum Crucis aureum, quod unum eſt Chriſtiani nominis hoſtibus horribile, & exitioſum. Enaſcentium hæreſum ſemina præfocavit: Ad compeſcendas vero quamplurimas quorumdam recentium Theologorum de morali doctrina ſententias, ab Evangelica ſeveritate abhorrentes, omnem Pontificiæ auctoritatis vim contulit. Novum Sacerdotum Collegium inſtituit, qui deinde in ultimas terras delati Catholicam Religionem ultra veteres terminos propagarent. Nihil denique non molitus eſt, ut non modo Romæ, atque in ipſa aula Pontificis, quæ modeſtiæ, & virtutis magiſtra habebatur, ſed ubique vetus Chriſtianæ diſciplinæ ſeveritas effloreſceret.

De ſumma Innocentii conſtantia ſatis ſuperque jam diximus, quam quidem ſi qui adhuc pertinaciam potius fuiſſe temere criminantur, næ illi, quo vitia a virtutibus internoſcantur, prorſus ignorare dicendi ſunt. Si enim cauſæ expendantur, propter quas maximæ illi graviſſimæque contentiones cum Ludovico Magno extitere, nihil æquius: ſi ratio, qua ad jus ſuum aut tuendum aut vindicandum uſus eſt, nihil modeſtius: ſi ejus perpetua vitæ conſuetudo, a faſtu ſuperbiaque

nunquam non vehementer abhorruit; quæ vitia sunt pertinaciæ maxime affinia. Iccirco raro, aut ferme nunquam in publicum prodibat, ne plausus acclamationesque amantissimæ plebis exaudiret. Quum vero primum Lateranensis Ecclesiæ possessionem solemni cæremonia necessario adivit, ita mœrens, demissusque erat, ut ad servitutem rapi, non ad regnandum incedere videretur. Quo spectaculo quotquot aderant commoti lachrimas tenere non poterant. Adeo autem patiens injuriarium fuit, ut quas facillime posset, ad eas vindicandas nonnisi ægerrime descenderet, atque tunc tantum, quum tranquillitati publicæ concessa impunitas obesset, aut certam perniciem in posterum traheret; quod in Missoriorum causa maxime patuit, quos ad necem illi inferendam conjurasse fama fuit. Sed in eos aliorum gravissimorum criminum, quam impiæ conjurationis reos capitali supplicio, quo damnati sententia Judicum fuerant, animadverti jussit. Eam semper in summo imperio moderationem animi præsetulit, ut etiam Hæreticis ejus modestia, ac temperantia admirationi fuerint, quæ quidem virtutes cum vera, germanaque constantia sunt maxime conjunctæ.

Fuit Innocentius XI. procera, erectaque statura, magno capite, gravi supercilio, vividioribus oculis, decora ac liberali facie, eo denique oris, & corporis habitu, qui & majestatem Principis, & Summi Pontificis sanctitatem maxime deceret.

Hic vero ſilentio prætereunda non ſunt, quæ mira de Innocentio, & ſtatim poſt mortem, & noſtris etiam temporibus divinitus accidiſſe ad ejus ſanctitatis gloriam oſtendendam feruntur. Duo tantum afferam, non quod plus admirationis habeant, quam ſexcenta alia, quæ hic a me percenſeri facile poſſent, ſed quod memoria eorum ſit admodum recens, & in Urbe multorum ſermone percelebrata. Itaque Maria Aloyſia Urſinia, quæ in ſacrarum Virginum Collegio ad quatuor Martyres religioſiſſime adhuc vivit, ex graviſſimo, diuturnoque hepatis morbo laborabat, quo ex morbo non modo ea nervorum infirmitas conſequuta eſt, ut pedibus incedere ſibi jamdiu non liceret, ſed multo etiam graviora ferebat valetudinis incommoda, quibus in extremum vitæ diſcrimen non ſemel adducta eſt. Peritiores Urbis medici nihil reliqui fecerant quod ad eam ſanandam pertineret, ſed morbi malignitate, atque pertinacia omnis medicinæ vis victa fuit. Quum igitur ex medicorum ſententia nullam ſibi in arte medica reliquam eſſe ſpem ſalutis Urſinia intelligeret, ſuperum, atque imprimis Innocentii XI. opem ſtudioſius imploravit, impetravitque, ut ſacræ quædam veſtes, quibus ille uſus olim fuerat, ſibi deferrentur. Quarum contactu auctus eſt quidem dolor, ſed mox incredibilis quædam cupiditas illam inceſſit, ut ex lectulo, in quo quinque jam ipſos annos decumbebat, ſtatim exurgeret. Dum ſpem inter & metum id conatur, nullo ſe dolore affici, atque inſuetum quemdam vigorem ſibi addi per-

fenſit, ac de reſtituta ſalute jam certior, nihil habuit prius, quam ut una cum ſociis, rei novitate, ac miraculo attonitis, Deo immortales gratias actura in Templum convolaret.

Ea res majores animos addidit Thereſiæ Margaritæ de Chartiæ, quæ in eodem Collegio eodem graviſſimo morbo conflictabatur, jamque extremis ſacris ritu Chriſtiano munita fuerat. Fore enim ſperavit, ut ab Innocentio, cui ſe commendari impenſius cœperat, ipſo quoque beneficio impertiretur. Neque illius vota fruſtra cecidere. Etenim die IV. Octobris MDCCLXXII. ægrotanti De Chartiæ Innocentius adſtitit (quo tempore Angela Thereſia Cavaterra, quæ in eodem conclavi verſabatur, cæleſte quoddam ſplendidiſſimum lumen ſupra illius lectum ſe non ſemel, ſed iterum ac tertio vidiſſe jurejurando teſtatur) eamque ita ſanavit, ut quæ annos jam quinque, ac menſes octo pene immota, ſtipitique ſimilis nervorum vitio jacuerat, potuerit ſtatim exurgere, ac liberrime incedere.

Illud etiam addam, eſſe infinitos tam cives, quam exteros, qui habere cupiant cereas Divini Agni Imagines ab hoc Pontifice conſecratas. Etſi enim vis illa ſalutaris cereis Imaginibus divinitus adjuncta a Pontificia poteſtate, atque a ſanctiſſimis cæremoniis proficiſci intelligatur, tamen propter ſingularem Innocentii Religionem, ac ſanctitatem, neſcio quomodo his Divini Agni ſimulachris ab hoc ipſo, ſicut olim a S. Pio V. confectis, omnes ſe in

pe-

periculis inſtructiores, magiſque tutos fore arbitrantur.

Hiſce initiis, & quaſi fundamentis excitatæ laudes Innocentii adeo ſermone omnium cum Romæ tum apud exteras nationes percrebuerunt, ut Clemens hoc nomine Undecimus tum ejuſdem fama ſanctitatis, tum literis commendationibuſque Summorum Regum, Principum, & Eccleſiæ Antiſtitum ſane plurimis permotus, de cæleſtibus illi honoribus decernendis cogitaverit, & judicium Canonizationis inſtituendum mandaverit. Mox Clemens XII. deſignavit certos & proprios cognitores & judices, qui, quæ opponebantur, diligenter inquirerent. Sed Benedictus XIV. ſemel atque iterum convocata apud ſe Rituum Congregatione, cum unamquamque rem examinandam, momentoque ſuo ponderandam ſuſcepiſſet, Decreta illa edere non dubitavit, quæ infra * afferimus. At nemo ignorat tanti Pontificis immortalem in hiſce rebus pertractandis doctrinam, peritiam, auctoritatem. Speramus autem fore, ut hæc Cauſa ne diuturnitate temporis, & hominum negligentia in oblivionem deducatur, ſed reviviſcat potius & ad honorem Romanæ Eccleſiæ, & ad poſterorum exemplum brevi exitum habeat fœlicem maximeque optabi-

* Hæc Decreta, quæ a Bonamicio afferebantur, ut Poſtulationi, quæ ſibi magnæ curæ eſſet, inſerviret, in Editione hac, utpote quæ minimè neceſſaria viſa ſunt, locum non obtinent.

bilem, auctoritate & beneficio PII VI. P. M. quem Innocentii XI. dignitatis Successorem, & virtutis imitatorem colimus & admiramur.

PHI-

PHILIPPI BONAMICII

ORATIONES ET EPISTOLÆ.

F 4

ORATIO IN FUNERE

JO. VINCENTII LUCCHESINII

Ad Lucenses dum Ei in Templo Nationis officia exequiarum Romæ persolverent.

SILVIO VALENTI S. R. E. CARD.

PHILIPPUS BONAMICIUS S. P. D.



Uod Joannis Vincentii Lucchesinii doctissimi hominis atque Historicorum sui temporis facilè principis funebrem laudationem, quam ad ostendendam non eloquentiam, sed pietatem emisi, in tuo, Cardinalis Eminentissime, nomine apparere voluerim, non deerunt fortasse, qui prudentiam desiderent meam. Quid enim Principem Virum, in maximis totius Christianæ Reipublicæ negotiis occupatissimum, tam parva de re interpellarem? Sed hunc sermonem dabimus iis, qui nesciunt, quam singulari benevolentia Lucchesinium, tibi magnis jam & veteribus amicitiæ officiis devinctum, complecterere: Ea scilicet benevolentia, qua vel ex amplissimo isto dignitatis gradu literatis omnibus, bonarum ipse literarum amantissimus, illustris patrocinii manum tendis, eosdemque mirificè sustentas, tueris, auges, ornas, probè intelligens, in hoc Prin-

cipum Virorum positam esse summam & gratiam, & gloriam. Quamobrem non dubito, quin tu, Cardinalis Eminentissime, docti hominis tibique amicissimi præconium libenter legas, excipiasque benignius. Sed existimavi etiam meam in optimo Historico laudando operam maximè omnium probaturum te, qui in veterum recentiorumque Historiarum lectione jamdiu versatus, videris ex his fontibus hausisse tractandæ Reipublicæ scientiam gravem admodum atque implicatam. Et ea sane tempora extiterunt, misera illa quidem ac luctuosa, sed quæ in oculis & sermone omnium collocant magnitudinem animi, qua subnixus moderaris difficillimæ tempestatis momenta ex publica utilitate. Singularis hæc tua ac divina animi consiliique vis, alitur certè, confirmaturque vitæ illâ magistrâ historiâ, quam, si quis alius, tu quidem optimè tenes, qui, eventa dum notas, mentem refers ad causas, easque diligenter investigas, nec non ex præteritorum recordatione futura peracute conjicis, & præsentia sapientissimè administras. Ex quo in suscipiendis explicandisque negotiis summæ solertiæ, summæ item prudentiæ Vir & es & esse ab omnibus existimaris. Sed non est mearum virium, nec perbrevis Epistolæ ire in tuas laudes. Satis mihi demonstrasse videor, convenienter fecisse me, qui libellum hunc de docti Historici laudibus docto tibi Principi, rerumque usu maximarum peritissimo dicaverim, quique hanc qualemcumque nactus occasionem, animum tibi meum excellentium virtutum tuarum admiratione defixum, tuique observantissimum declarare voluerim.

ORA-

ORATIO.

QUod Metellus Macedonicus, ſimul ac mortem intellexit Scipionis Æmiliani, cum quo civiles inimicitias exercebat, natis ſuis dixiſſe fertur: Ite, o filii, exequias celebrate, nunquam majoris Civis funus eſtis ducturi; liceat mihi idem illud hodierno die apud Vos, Viri Lucenſes, dum ampliſſimo Præſuli Joanni Vincentio Lucchesinio juſta funeris perſolvitis, palam veriſſimeque prædicare. Amiſimus (quod ſine lacrymis dici non poteſt) amiſimus non immaturo illo quidem, ſed tamen importuno ſemper graviſſimoque caſu ablatum Civem noſtrum, Civem optimum, quo vix ſuperioribus ſæculis Patria noſtra tulit, & conſequentibus vix fere unquam vel ſanctitate, & innocentia morum, vel admirabili doctrina, & exquiſita optimarum artium cognitione, vel omni laudis genere præſtantiorem. Nec vereor jam, ne hæc mea de tanto Viro prædicatio, etſi non extorta ab inimico, qualis Metelli adverſus Scipionem fuit, ſed ab amiciſſimo ſummiſque illius beneficiis devincto animo profecta, minus tamen vera cuiquam videri poſſit, quum ſummæ Lucchesinii laudes non modo mihi, & Vobis exploratæ compertæque ſint, ſed ad exterarum quoque Nationum omnium famam ſermonemque percrebuerint. Illud potius verendum

dum

dum mihi eſt, ne ingentes illius virtutes hac ingenii mei tenuitate, quod etiam dolor impedit, obterantur potius, quam extollantur; quando me omni dicendi præſidio imparatum ad hanc officioſam laudationem perſolvendam invitaſtis. Sed Vos, ut ego conjectura aſſequor, in me potiſſimum deligendo non quid ego poſſem, ſed quid deberem, rationem habuiſtis, ſequuti veterem conſuetudinem Romanorum, apud quos mortuorum laudationes ab iis plerumque habebantur, qui aliqua cum iiſdem mortuis eſſent vel cognatione vel affinitate conjuncti. Etſi autem nulla mihi cum Luccheſinio ſanguinis neceſſitudo eſt, illa tamen eſt multo major multoque diuturnior amoris, atque beneficiorum. Quorum quidem ego expenſor potius atque æſtimator, quam virium mearum, tantum oneris non tam hortatu veſtro, quam mea quadam inclinatione voluntatis ſuſcepi. Malui enim minus idoneus, quam minus gratus videri; Ex quo intelligitis, a me in hac funeris celebritate non ingenii, ſed pietatis, non eloquentiæ, ſed benevolentiæ partes fuiſſe ſuſceptas. Sed jam ad ea, quæ, quam breviſſime planiſſimeque potero, dicturus ſum, quæſo, diligenter attendite.

CUM multa, & præclara ſunt hujus Urbis inſtituta, tum illud eximium certe ac ſingulare, quod non tam ſuorum, quam exterorum induſtriæ atque virtuti patet aditus ad Rempublicam. Decet enim in ea Civitate, quæ vir-

virtute ceteras superavit, atque hoc nomine ad tantam amplitudinem potestatemque pervenit, primum virtuti locum esse, ut quos ipsa commendat, quicunque tandem sint, in eandem Civitatem adsciscantur ad ipsius præsidium, atque ornamentum. Nolo hic enumerare dicendo, quot quantosque Viros in hanc tantæ Urbis lucem emiserit Civitas nostra, Lucenses, quæ etsi angustos fines habet, plurimis tamen in exteras Provincias suorum Civium quasi coloniis deductis, latissime propagatur. Hoc dicam unum, magno numero ex Civibus nostris extitisse, quos Roma ob bene gestam Rempublicam amplissimis justissimisque honoribus affecerit; Nos autem Romæ domesticis sane multis præclarissimæ virtutis exemplis abundare. Nam ut veteres illos omittam Lucium III. P. M. Cardinalem Ammannatum, Papiensem dictum, Antelminellum, Castruccium, Stephanum & Vincentium a Porticu, vel dignitate, vel doctrina, vel utraque spectatissimos Viros: ut ne commemorem Vidaccionios duos, aut Bartholomæum Cardinalem, aut Joannem præsertim, illud eloquentiæ & poesis clarissimum lumen, cujus nomen tamdiu laudabitur, quoad optimis studiis habebitur honos: Ut hos prætercam, aliosque permultos ex Annalium monumentis conquirendos, an recentiores illos possumus oblivisci Franciottios, Bonvisios, Barsottios, Spadas, Guinisios, Bottinios, Fatinellios, Santinios, Bernardinios, qui omni laude ornatissimi non modo suam Civitatem, sed hanc ipsam quod-

am-

ammodo illustrare potuerunt? Verum tantum hoc domesticæ Patrimonium dignitatis auxit mirum in modum, exaggeravitque Joannes Vincentius Lucchesinius, quo uno, ut abessent ceteri, Lucensium tamen in hac Urbe laus, & gloria pulcherrime niteretur.

Atque ego sic existimo, in homine, qui Romanæ atque adeo universæ Ecclesiæ totum dedere se se, qualique consecrare velit, duas potissimum res inesse oportere, eximiam doctrinam, atque excellentem morum integritatem. Etenim hæ duæ res disjunctæ forte separatæque si fuerint, vix, quid Ecclesiæ prodesse possint, intelligitur. Nam a bonis viris, sed indoctis magna admodum expectari præsidia nequeunt: docti autem, sed improbi quis ignorat quot quantasque calamitates in Ecclesiam invexerunt? Eorum igitur in Christiana Republica late patere poterit industria, qui & virtutem laudatarum artium scientia quasi quibusdam armis instruant, & hanc omnibus virtutum ornamentis illustrent. Ex hoc genere fuisse Lucchesinium nostrum sine ulla dubitatione confirmo; qui tamen utrum doctrina, an morum innocentia præstantior fuerit, non possum statuere. Age vero, quanta ipsius doctrina fuerit, primum videamus. Nam quum iis studiis, quibus ætas puerilis informari solet, Senis dedisset operam, quumque I isis postea gravioribus disciplinis, & doctissimorum hominum familiaritate, quibus ea Civitas maxime floret, se magis magisque perpolivisset, Romam venit, quo jamdiu & sua eum ingenii

nii præstantia, & Ecclesiasticæ vitæ rationes ab ineunte ætate susceptæ evocabant. Habent enim hoc præclara ingenia, ut in occulto esse non possint, sed proferri gaudeant ad famam nominis, & commune bonum; neque Ecclesiastici Ordinis Viro alius, quam in Romana Civitate, apertior est cursus ad exercitationem ingenii atque virtutis. Sed hic statim extulit se se, ostenditque lumen suum Lucchesinii doctrina, præsertim vero latine dicendi facultas, in qua mirum in modum excellere visus est. Existimaverat enim, si usquam, hac in Civitate latinæ linguæ studium maxime coli, probarique oportere, qua in Civitate ejusdem Matre, atque Altrice etiamnum Leges, Edicta, Religiones, & sacra omnia non aliâ, quam latinâ linguâ, continerentur. Atque illud etiam animadverterat, quod est utique verissimum, maximo Romæ probro, ac dedecori verti posse, si quid ex hoc ipso pulcherrimæ latinitatis quasi natali solo scriptum efferretur, quod non plane latinum esset, quodque ab exteris ipsis gentibus tanquam barbarum repudiaretur. Quæ quum secum animo cogitasset, dici vix potest, quantum operæ laboris industriæ in eo studio putaverit collocandum. Sed qui probe norat, latinam linguam sine græca rite perfecteque comparare neminem posse, quod hæc aperit una fontes, aperit caussas illius, ad græcas literas omnem animi contentionem diligentiamque convertit. Neque hic ego disputabo, utrum in græco sermone plurimum profecisse videatur, quum testes sint duode-

decim illæ Demosthenis Orationes a Lucchesinio in Latinum translatæ, exquisitisque animadversionibus illustratæ; quæ quanta utriusque linguæ laude floruerit, quantam plurimarum rerum scientiam comprehenderit, quantam græcæ historiæ cognitionem, quam variam, quam multiplicem, quam intimam habuerit, & ipsæ per se se declarant emissæ in manus hominum, & doctissimi Viri judicarunt. Equidem cum ad illas legendas accedo, minus graviter earum desiderium ferre posse videor, quas a Cicerone ipso latinas factas accepimus, & injuria temporum periisse indignamur. Nam quis perfecti munus interpretis melius explevit? Quis Demosthenis (cujus difficillima omnium interpretatio) incredibilem vim illam robur nervos acumen, quantum latina lingua patitur, expressit diligentius? Quis loca quædam vel obscura, vel salebrosa uberius illustravit, explicavitque felicius? Vidit hoc Rollinus homo Gallus, atque doctissimus, qui hanc Lucchesinianam Demosthenis interpretationem, tamquam optimam probatissimamque, omnibus græcæ linguæ, & eruditionis studiosis proponit ad legendum. Vidit Janus Vincentius Gravina; at qui Vir, quantusque! Vos scilicet non ignoratis quam magnum ingenium habuerit optimisque disciplinis limatum, quam intelligens sincerumque judicium, quam teretes aures ac religiosas. Atque is homo quum eandem interpretationem perlegisset, ita de summo Lucchesinii ingenio judicavit, ut quum eum, quem ne de

fa-

facie quidem antea noverat, in hominum literatissimorum conventu offendisset, continere se non potuerit, quin omni officio, atque obsequio prosequeretur, & clara voce, ita ut nemo non exaudiret; En, diceret, hominem vere doctum, qui Romæ latinarum græcarumque literarum gloriam pulcherrime sustinet. Valet, valet, mihi credite, plurimum ad Lucchesinii commendationem hoc laudati hominis clarique testimonium. Neque enim ab omnibus laudari optabile est, turpe etiam a quibusdam: at ab eo, qui optimo ingenio optimoque judicio sit præditus, quique in eodem scribendi genere versetur, si qua laus proficiscitur, ea non fallax, non inanis, non ulla vel simulationis, vel adulationis labe suffusa laus censeri debet, sed a rei veritate certaque virtutis existimatione profecta. Etenim ornamenta doctrinæ indocti plerique adipiscuntur, sed talia doctissimorum virorum judicia sine doctrina assequi nemo potest. Hinc ille profluxit ad famam hominum, atque ad tantam doctrinæ opinionem, ut non Romæ solum, sed apud exteros etiam liberalium omnium artium peritissimus & haberetur, & esset. Qua nominis celebritate permotus CLEMENS Undecimus Pontifex doctissimus, maximeque in eloquentiæ studiis versatus (talem enim fuisse declarant ejus monumenta plena sapientiæ, plena eloquentiæ cum Pontificia quadam dignitate conjunctæ) nemini profecto mirum videri debet, si peculiari benevolentia Lucchesinium amplexus est; si inter suos hono-

rarios Familiares adſcivit, ſi denique Cardinali, qui eſt a ſecretis Status, ut vocant, mandavit, ut in latinis literis conſcribendis ejus opera uteretur. Quid? PROSPER LAMBERTINIUS, quem nunc in excelſa illa ac Deo proxima Sede divino munere collocatum & videmus & gaudemus, doctus quidem ipſe, & doctorum hominum amantiſſimus, nonne ad graviſſimum tantorum Virorum de Lucchefinio judicium adjunxit ſuum? Nam quum Congregationis Cardinalium Tridentini Concilii interpretum a Secretis eſſet, quumque permultos Epiſcopos, qui ſuæ quiſque Diœceſis ſtatum, qualiſcumque eſt, eidem Congregationi diligenter exponunt, nullum habere reſponſum animadvertiſſet, adiit Pontificem, oravitque, ſibi ut aliquem daret, latina præſertim facultate expolitum, qui quæ Congregatio ſapienter decreviſſet, eleganter explicata mitteret ad Epiſcopos. At quemnam alium non poſtulavit ſolum, verum etiam flagitavit, niſi Luccheſinium? Cujus graviſſimum teſtimonium, velut Platonis Antimarcho Clario, eſt mihi inſtar omnium ad Luccheſinii commendationem. Quod non laudatorie quidem, ſed latine dico, & non quod Pontifex Maximus vivit, ſed quod nunquam non vivet in æternis illis ampliſſimiſque ingenii monumentis, quibus conſecravit memoriam nominis ſui. Utrum vero tantæ LAMBERTINII expectationi cumulate ille ſatisfecerit, nolite quærere. Accipiebant Epiſcopi elegantiſſimas epiſtolas, iiſque vehementer delectabantur, neque de-

defuerunt, qui Lucchesinio tantam cum sapientia conjunctam eloquentiam gratularentur. Et miramur, si Romæ illis temporibus Academia nulla paulo celebrior, nulla liberalium artium exercitatio illustrior, nulla clarissimorum hominum laudatio funebris haberetur, ubi primæ quasi partes eloquentiæ Lucchesinio non deferrentur? Extat Oratio de honestissimis architectandi, pingendi, scalpendi artibus Thusco sermone conscripta, atque ea quidem magnifica illustris ornata, in qua docuit, tum demum Etruscum dicendi genus non esse futile, languidum, inane, cum a græcis & latinis literis accipit nervos & vires. Extat altera latina in funere Petri Secundi Lusitaniæ Regis, qua nihil est, mea quidem sententia, aut elegantius aut uberius aut magnificentius. Cujus lectione ita delectatum fuisse ajunt CLEMENTEM Undecimum, ut Regi illi mortuo tantum laudatorem invidisse, & non tam ab omnibus ipse, quam ab hoc uno laudari maluisse videretur. Nec aliter profecto accidit, ac ipse exoptaverat. Nam e vivis ereptus Pontifex Maximus, in funere, quod in Vaticano templo ipsi curatum est, eundem laudum suarum optatissimum Præconem habuit. Atenim putasne perfectam doctrinæ laudem in hisce solum eloquentiæ studiis contineri? Hic ego non ea respondebo, quæ verissime respondere posse videor: nunquam a doctrina eloquentiam disjungi posse: multos sæpe doctos in variis scientiis sine eloquentia, neminem vero sine doctrina eloquentem extitisse: quæ

nullis rebus abundat, eam non eloquentiam esse, sed inanem quendam sonum strepitumque verborum. Neque illud etiam meo jure contendam, quod est apertissimum, in eo perfectam, ac solidam doctrinæ laudem esse positam, si apte dicas, quæ sapienter cogitaveris. Ex quibus facile possem concludere, Lucchesinium omnino doctum videri oportere, cujus monumenta ingenii siquis penitus inspiciat, ea videat rerum non minus, quam verborum ubertate abundare, neque tam e rhetorum officina, quam e scientiarum penetralibus fuisse depromta. Sed hæc omnia silentio prætermitti patiar, Vosque orabo potius, mihi ut subiiciatis disciplinas illas graviores, quas qui ignorat, is aditum ad perfectæ doctrinæ laudem habet interclusum. Sic enim statuo: nullum earum genus a Vobis proferri posse, quod Lucchesinius aut attingendum, aut plane etiam comprehendendum non existimaverit. An Philosophiam illam, quæ in occultis involutisque a Natura rerum causis investigandis evolvendisque versatur? Sed nego esse aliquid hujusmodi sive a veteribus Philosophis literis traditum, sive recentiorum industria excogitatum, ac experimentorum ope bono in lumine collocatum, quod non ille habuerit plane cognitum atque perspectum. Nego esse auctores ullos principes in eo Philosophiæ genere, quos non avide diligenterque perlegisset. An scientiam illam haustam e reconditissimis eorum, qui Mathematici vocantur, abditissimisque fontibus? At quum acre ingenium a natura & ve-

lox

lox & acutum Lucchesinius accepisset, non eam modo degustarat, sed diligentissimorum Philosophorum more quicquid in ea est multiplex subtile obscurum ita perscrutatus animo erat, ita memoria sepserat, ut ex iis unus videretur, qui omne vitæ suæ tempus in eo studio non inutiliter consumunt. Testantur id permulti doctissimi Viri, atque in hoc disciplinarum genere versati, qui Lucchesinium de Philosophiæ, deque Matheseos rebus copiose disserentem audiebant, atque idcirco ipsius familiaritate mirifice delectabantur. Quid mihi in mentem revocatis sanctissimam illam disciplinam, quæ de divinis rebus agit, quæque Theologia appellatur? Quam funditus eam calluerit, nihil est, quod ego dicam. Dicant Academici illi, qui & in veteribus, & in illis, quas modo sapientissimus Pontifex instauravit, Academiis quæstiones plurimas uberrime tractantem admirati sunt, docentemque, posse pulcherrimam disciplinam eloquentiæ splendore nitescere, posse a barbariæ situ, & sordibus vindicari. Quid Historiæ cognitionem memoratis? Habuit enim tantam, quantam possumus cogitare maximam, ac prope admirabilem. Sive enim de profanis vel Græcorum vel Romanorum, sive de sacris vel Hebræorum vel Christianorum, sive de perantiquis sive de recentioribus historiis sermo habeatur, has ille omnes perlustraverat, has legerat, has ita in promtu, atque ante mentis oculos habebat, ut nulla unquam, ne in extrema quidem senectute, exciderit. Sed peropportune de

historia mentionem fecistis. Quid enim aliud non significare modo, sed ostendere apertius potest doctrinam illius magnam, atque multiplicem, quam quod suorum temporum historiam conscripsit? Nemo enim bonus idemque prudens rerum æstimator judicabit, rem tantam, quæ doctissimos homines sua magnitudine ac difficultate semper deterruit, nisi ab homine excellenter docto suspici absolvique posse. Quanti enim putatis exponere narrando Regum maximorum inimicitias, bella, prælia? neque id solum, sed, quod majus est, omnium eventorum causas aperire, cur illud factum, hoc omissum? collaudare vel reprehendere consilia Imperatorum, & virtutem vel ignaviam Militum? Quanti locorum opportunitates, Urbium munitiones, Oppidorum oppugnationes pœne sub legentium oculos subiicere? Quanti denique nullas gentium commotiones, nullas exercituum comparationes, nullas classes, nullas illustriores neces, non morborum eluviones, non famem duriorem aliquam, non variarum gentium ac Populorum disciplinas, mores, leges, cæremonias, sacrorum ritus, nullum denique factum vel dictum paullo excellens, ac memoratu dignum prætermittere? Res hæc est plenissima ingenii, plenissima laboris, res magna, & nonnisi hominis omni doctrinarum genere abundantis. Non enim ille temporum, non locorum accuratam descriptionem, non scientiam rerum civilium ac militarium, non familiarum nobilissimarum genealogias, non jura fœderum ac pactionum, non vim te-

sta-

stamentorum ac successionum, non hæc omnia aliaque permulta, de quibus in historia sponte ac necessario sermo incidit, nisi turpissime labi velit, debet ignorare. Huc accedit, quod ad eas res omnes vestiendas exornandasque afferre debet Historicus dicendi genus castum, dilucidum, varium, plenum cujusdam voluptatis, quæ vehementer legentium animos retinere possit. Hæc autem omnia an Lucchesinius sua in Historia præstiterit, malo ex ipsius lectione, quam ex me quisquam intelligat. Nam si gustum literarum aliquem habeat, fateatur profecto necesse est, in illa omni ex parte ingenium hominis maximum, artem plurimam, doctrinam singularem elucere. Videbit in ea veterum omnium optimorum Historicorum virtutes liberali quadam imitatione maxime expressas, & quasi in unum collectas omnes. Non in Oppidorum obsidionibus describendis diligentiam elegantiamque Cæsaris, non in concionibus habendis Livii facundiam atque copiam, non in politicis rebus tractandis Taciti pondus brevitatemque sententiarum, non in moribus, & ingeniis hominum exprimendis judicium Salustii desiderabit. Nihil denique a Lucchesinio perfectius, nihil difficilius, nihil præterea, quo majorem a posteris, bonarumque literarum studiosis hominibus gratiam inire potuerit. Habet enimvero nostra hæc ætas res maxime dignas scriptione, & memorabiles, sed qui literis prodant, atque posteritati propagent, habet admodum paucos, vel fore neminem; ut dignus sit ce-

lebrari laudibus amplissimis, dignus omni posterorum benevolentia, qui in mira Historicorum inopia tantam rem perfecerit cum dignitate. Atque utinam hoc opus non fuisset gravioris muneris, quod a CLEMENTE XII. delatum Lucchesinio est, quasi interpellatione quadam abruptum, haberemus integram & perpetuam nostrorum temporum historiam! Quam incepisse, atque ad tertium usque volumen explicasse, magna Lucchesinii laus est; at absolvere non potuisse, magnum fuit rei literariæ detrimentum. Sed sapientissimum Pontificem, qui ita semper fuit animatus, ut quæ doctis viris præmia debentur, ea libentissime liberalissimeque persolveret, suppudebat (utar eo verbo, quo ille Lucchesinii doctrinam admiratus uti voluit) suppudebat non aliquo ante beneficio tantum Virum exornasse. Quare ne cogitantem quidem inter secretiores Familiares suos adscriptum, & Basilicæ Vaticanæ Canonicatu auctum ad Pontificias Epistolas, quas Brevia ad Principes vocant, conscribendas advocavit. Est hoc munus quidem perhonorificum, sed quod nisi homo divinarum humanarumque rerum prudens, & in latina præsertim facultate exercitatus tueri cum laude possit. Gerit enim personam Principis, debetque intelligere, ita se Pontificiæ interpretem atque explanatorem voluntatis esse, ut quicquid scribit, divino quasi ex oraculo scribere videatur. Quanta igitur sapientia, consilio, fide præditus sit oportet, cui tantum oneris imponatur? Quanta doctrina, quanta præsertim

la-

latina eloquentia, non ea quidem, quæ nimium sit elaborata, & quasi fuco quodam illita, sed simplex, gravis, sedata, plena roboris, plena sanctitatis, quamque vere Pontificiam possis dicere? Ut se ipse sustentare debet in scribendo! ut verba omnia moderari! quam diligenter animadvertere, nequid cupide, temere, inepte, non loco, non tempore, nequid etiam impolite, atque a Pontificia alienum dignitate emittat! Quamobrem desino jam mirari, cur Pontifices maximi non alios, quam magni nominis magnæque doctrinæ viros ad tantum munus obeundum, vel maximis propositis præmiis, accersiverunt. Quis enim ignorat Cardinalem Papiensem nostrum, quis Poggios, Trapezuntios, Blondos, Leonardos Arretinos, quis Bembos, Sadoletos, Silvios Antonianos, aliosque plurimos, suæ quemque ætatis doctissimos, ac literarum laude florentissimos, ad ejusmodi epistolas conscribendas fuisse adhibitos? At nemo sane me reprehendet, nemo jam criminabitur, si in hoc summorum Virorum numero reponam & quidem optimo jure Lucchesinium nostrum, qui etsi graviore ætate tantam provinciam suscepit, sustinuit tamen, atque ita sustinuit, ut CLEMENS XII., & BENEDICTUS XIV. in eo epistolarum genere non minus, quam LEO X., & CLEMENS VII. fortunati fuisse videantur. Manent adhuc elegantissimæ epistolæ a Lucchesinio conscriptæ, quas quoties posteri legent, toties Lucchesinii latinitatem admirabun-

buntur, toties tantorum Pontificum judicium ſapientiamque collaudabunt.

Video Vos quidem tantæ doctrinæ admiratione detineri, quod, quæ ſingula laudem habent plurimam, univerſa in Lucchefinio conjuncta extiterunt. Intellexiſtis enim eundem Oratorem, Hiſtoricum, Epiſtolarum Pontificiarum Scriptorem optimum fuiſſe, optimum, inquam, hoc eſt, reliquarum ſcientiarum omnium multiplici cognitione ornatum, atque inſtructum. Sed neque deerit fortaſſe ex Vobis, qui quæ hactenus non oratorio, ſed ſimplici magiſque ad veritatem accommodato ſermone diſputavi, ſecum animo repetens, tantum Virum ſibi antea ex oculis ereptum, quam bene cognitum ingemiſcat. Sed habeo hujus rei veriſſimam pulcherrimamque cauſam, habeo fontem; Chriſtianam ſcilicet ac prope incredibilem animi demiſſionem, quo veluti integumento quodam ad occultandum doctrinæ ſuæ ſplendorem utebatur. Quæ quidem virtus, omnis quaſi parens probitatis, me admonet, ut ad alteram Orationis meæ partem deſcendam, ad quam jamdiu me vocat & hujus ſanctitas loci, & Chriſtiani funeris pietas, atque religio.

Quamquam nolite exiſtimare, quæ hactenus de illius doctrina diſſerui, ad majorem aliquam inſequentis probitatis commendationem non pertinere. Scitote in ſuperioribus jacta eſſe fundamenta laudum reliquarum. Creſcit enim a doctrina Lucchefinii virtus, exurgitque mirandum in modum, quod non hanc ab illa turpi funeſtoque diſſidio disjunxit, quod

non

non ingenio, non doctrina, non tanta cognitione rerum plurimarum usus est ad arrogantiam, ad ostentationem, ad perniciem aliorum & suam. Intellexerat quippe, in literis sine virtute nihil solidum, firmum, salutare esse posse, easdemque ab illa dissociatas vel leves esse, vel perniciosas. Si vero hæc rara quidem, sed maxime optabili societate copulentur, si ad scientiarum dignitatem virtutis splendor accesserit, tum existere optimum illud, atque perfectum: cujus quasi formam in Lucchesinio ipso expressam licet intueri. Etenim quæ virtus ab illo abfuit? Quam altæ in eo fuerunt stirpes illius, modo quam nominavi, Christianæ demissionis animi! Præclara hæc semper est atque laudabilis, tamen cum doctrinæ splendore conjuncta, multo plus habet laudis ac dignitatis. Est enim pervulgatum, quod sapientissimi Viri affirmarunt, doctrinæ plerumque superbiam finitimam esse, ut quo quisque est doctior, eo majores quosdam spiritus sumat, fastidiatque ceteros, quos longe a se distare plurimum, atque in omnium rerum ignoratione versari videt. Sed Vos ego testor, qui plurimum cum illo familiaritatis vel sermonis usum habuistis: ex vobis quæro, num factum, num dictum ab eo quicquam fuit, quod sui ostentationem, aliorumque contemtum declararet? Quæ morum facilitas! quæ suavitas affabilitasque sermonis erga cujusque generis homines! Nonne cum rudibus atque imperitis colloqui & versari ita erat illi jucundum, ut qui doctrina ceteros præstabat, par vel infe-

rior

rior illis videretur esse? Sed quid illud ex aliis percontor; de quo possum ego vobis & quidem certissimus esse testis, qui quinquennium cum illo vixi perquam familiariter, ejusdemque mores ac naturam diligenter inspexi? Atque ego certe admirabar hominem ingenio præstantem, assiduo usu exercitatum, variarum rerum cognitione prope divinum, sed illius modestiæ admiratione multo magis commovebar. Quum tam demisse de se sentientem, quum nihil sibi arrogantem, quum nihil alienæ famæ ac laudi detrahentem, quum in suis ædibus delitescentem, & lucem hominum celebritatemque fugientem viderem; Hiccine, egomet mecum interdum, hiccine, qui Demosthenem, qui Historiam, quem Pontifices Maximi, quem ex universa Europa universus doctissimorum hominum consensus? Poteſtne tanta doctrinam inter atque modestiam, & tam firma societas conciliari? Sed accipite moderati animi exemplum singulare, quod apud Vos vix fidem sit habiturum, quodque tamen verissimum esse, sanctissime vobis testor atque confirmo. Quum inter colloquendum sermo incidisset de iis judiciis, quæ ad communem studiosorum utilitatem a quibusdam exteris doctissimis hominibus de recentiorum auctorum operibus pronuntiantur atque pervulgantur, ostendi perhonorificam ab iis de illo mentionem esse factam. Quid quæritis? Adeo illi novum atque inauditum accidit, ut nihil magis. Atqui viginti amplius anni erant, ex quo tam præclarum de illo judicium per manus ho-

hominum pervagabatur. Tantum vero abest, ut hujusce laudis commemoratione delectaretur, ut ex ejus ore quædam animi offensio, atque indignatio emineret. Atqui ego, subiratus inquit, vellem nullus hominum de me loqueretur, nullus nomen audisset meum! O vocem magnæ indicem Christianæ humilitatis! O rarum modestiæ exemplum atque admirandum! Ubi illi sunt, qui si vel tenuem aliquem ingenii fructum protulerunt, statim docti haberi ab omnibus, ac magnifice prædicari volunt? Ubi illi ostentatores meri, qui ejusmodi laudum testimonia callido quodam artificio eliciunt, & fortasse etiam nundinantur? Pudeat eos tantæ levitatis, & doctissimi hominis exemplo sapiant aliquando, si possunt. Ille ut in Principum familiaritatem daret se se, ac insinuaret? quos nunquam, nisi necessitate cogente, convenit? Ille ut ad aliquid faciundum, unde sibi spes aliqua honoris ostentaretur, ultro se se inferret atque intruderet? qui nihil unquam negotii suscepit, nisi jussus, ad nullum in Republica munus adivit, nisi advocatus? Magna hæc modestiæ documenta, maxima vero in homine plurimi ingenii, plurimæque doctrinæ. Quid si accedit eodem, uti summa generis nobilitate floreat? Quid si, ut domi inter claros majorum suorum honores educatus? Quid si, ut Romæ, hoc est, in tanto ambitionis curriculo perdiu versatus sit? Quid si, ut naturâ vehemens & proclivis ad iracundiam? At non vos latet, Lucchesinium summo apud nos loco natum; neque fugit,

flo-

florentioris tempus ætatis duxisse in amplissima Magni Etruriæ Ducis Aula, apud quem Pater Legatum agebat pro nostra Republica; reliquam vero ætatem consumsisse in hac Urbe apud Summos Pontifices, quibus multo carissimus fuit. Naturæ vero illius habitum quicunque penitus inspexit, non ignorat ejusmodi fuisse, ut facile redundante bili, atque iracundia graviore commoveretur. Ex quo plane perspici potest, modestiam illius non a natura, non a necessitate fuisse ductam, sed a consilio, a ratione, a virtute, vel potius ab auctore ipso ac perfectore virtutum omnium Deo. Hæc si alius quisquam non indisertus nactus esset, quam accurate percenseret! quam artificiose exaggeraret! quam copiose exornaret! Neque ego fortasse non possem in tanta rerum dicendarum segete. Sed mihi in animo est leviter transire, ac ita perstringere unamquamque rem, ut quisque intelligat, me Lucchesinium non studio, sed officio collaudare.

Quum tanta igitur in eo fuerit Christiana humilitas, procreatrix & quasi parens virtutum omnium, jam intelligitis, reliquas etiam mirifice effloruisse. Quamobrem omitto illam cupiditatum omnium moderatricem, voluptatisque expultricem temperantiam, qua respuebat oblectamenta omnia, non profusis sumtibus, non otio delectabatur, homo bene frugi, moderatus, ac verissimum his corruptis temporibus pudoris, abstinentiæ, antiquitatis exemplum. Nihil loquor de magna animi fortitudine, qua idem semper fuit, suique simi-

lis,

lis, ut nunquam in ſecundis rebus nimium efferentem ſe ſe, nunquam in adverſis concidentem videris. Nihil de juſtitia, fide, ſapientia, ceteriſque animi ornamentis, quæ ſi ſingula complecti velim, nullum modum aut finem mea inveniat Oratio. Sed una præ ceteris Chriſtianæ humilitatis ſocia atque aſſectatrix pietas adverſus Deum atque Religio ſe ſe mihi offert, ac de ſe taceri nequaquam patitur. Atque hæc virtus etiam tanto pulchrior videri debet, quo rarius in literatis hominibus deprehendi ſolet. Horum enim plerique quo majore ingenio præſtant, eo ſanctiſſimæ pietatis officia aut contemnunt faſtidioſius, aut negligentius exercent. Procul a Lucchesinio hæc animi intemperies fuit. Nam quid ea minora ac quotidiana commemorem? illud non modo gravioris, ſed vel leviſſimæ apud Deum offenſionis odium magnum acerrimumque: illam diligentiam ſeveritatis pleniſſimam, qua in vitam ſuam, mores, actioneſque omnes acute inquirebat, ne a recta conſcientia vel tranſverſum unguem diſcederet: illam orandi numinis, ac cæleſtium rerum contemplandarum conſuetudinem, certis repetitam temporibus, ac nunquam, ne in extrema quidem ſenectute, intermiſſam. Quoties ætate grave corpus abiiciebat humi, gemenſque graviter divinam opem ac auxilium implorabat? Quoties in die ad pedes Imaginis Chriſti ſuffixi cruci jacebat cum fletu, & lacrymis? Quoties aut divinos libros legendo, aut precando bonam noctis partem inſumebat? Sed illud mi-

mihi & vobis mirum, per, inquam, mirum videri debet, quod non ante, quam fere octoginta annos natus, Sacerdos creari voluit. Quid ita? Quod studiorum (ut ajebat) interpellatione impeditus augustum illud sanctissimumque munus verebatur. At Vos audistis castissimam vivendi rationem, exercitationesque virtutum: audistis Ecclesiasticum Virum numeris omnibus absolutum. O Christianam humilitatem (revertor enim sæpius ad eam virtutem, quæ ipsius propria ac peculiaris fuit, quæque cum ea, de qua loquor, maxime complicatur) o Christianam humilitatem omnium sermone ac literis prædicandam! O pietatem & religionem admirabilem! Neque tamen unquam induxisset animum, ut divinis Mysteriis initiaretur, nisi hortante ac jubente eo, quem habuit suarum actionum omnium judicem ac moderatorem. Verum cum ad divinam Aram primum accessit, tum extulit se se pietas singularis, tum Religionis ardor efferbuit. Qui tum illius animi sensus extiterint! Quam ardentes divinæ impetus charitatis in vultum ipsum oculosque redundarunt! Vidi vidi ego sanctissimum Senem, dum primum rem divinam faceret, incredibili quadam ac cælesti voluptate delibutum, neque lacrymas continere potui, & vix nunc possum, cum recordor. Ex eo vero tempore dici non potest, quam severiorem exactioremque virtutum omnium sibi legem dixerit. Ita profecto consequentibus duobus annis vivere visus est, ut ejus vita quasi inchoatio quædam illius videretur esse, ad quam immor-

mortalem ac divinam, ut sperare quidem possumus, ex hac contagione corporis solutus ac liber repente evolavit. Mortuus ille est, quum octoginta amplius annos natus esset, qua ætate qui moriuntur, non lugendi videntur esse: at immatura semper est, omnique lamentationis genere prosequenda mors hujusmodi Virorum, quorum mira est ubique paucitas. Mihi quidem pectus effodit; effodietque semper illius diei acerba recordatio, quo die bene mane audivi Lucchesinium repentina morbi vi oppressum obiisse. An ego possum oblivisci summum hominis ingenium, mores suavissimos, tantam erga me benevolentiam? Possum non sentire jacturam hujus quasi Parentis ac Magistri optimi? quem ego semper colui plurimum, unicéque dilexi, & a quo etiam (quod non arroganter, sed pie dico) dilectus sum ac singularibus beneficiis exornatus? Vos autem, Viri Lucenses, potestisne tantum Patriæ lumen, decus, ornamentum sine summa animi ægritudine amisisse? Potestis gravissimum hoc Reipublicæ vulnus placidis oculis ac tranquillo vultu intueri? Sed non committam, ut & Vos querelis angam diutius, & scindam ipse quodammodo dolorem meum. Hortabor potius, ut quam ingenii, quam vitæ præclarissimam imaginem reliquit, eam intueamur, eam nobis proponamus ad imitandum. Non enim dubito, quin si tanti Viri imitatione nos ipsos conformemus, nostræ Nationis gloria in hoc principe orbis terrarum loco pulcherrime continuata, latius etiam propagetur.

ORATIO IN FUNERE

CLEMENTIS XIV. P. M.

HABITA IN BASILICA VATICANA

IV. Nonas OCTOBRIS MDCCLXXIV.

ANimadverti, Patres Eminentissimi, non sine divino quodam consilio factum esse, ut qui dies Francisci Assisiatis memoria consecratur, idem supremis Clementis XIV. Pontificis Maximi nuper defuncti exequiis, & officiosæ ipsius laudationi persolvendæ constitueretur. Etenim quum magna sit vis necessitudinis, & quasi communio hæreditatis Parentes inter & Filios, in tanta Sanctissimi illius, ac propè cælestis Viri gloria, qua hodierna dies redundat, in tam illustri plurimorum ipsius in Christianam Rempublicam prædicatione meritorum decet profecto aliquid loci esse laudibus Clementis Francisci Filii; cujus, si nihil aliud, certè divina, atque altissima dignitas, quam vivens obtinuit, Franciscanam Familiam nova quadam splendoris accessione illustravit.

Neque vero temporis, sed loci etiam rationem habitam fuisse intelligo. Nisi forte quis pertimescendas putet recentes illas quorumdam ho-

hominum * obtrectationes, qui hanc funebrium laudationum consuetudinem tamquam aliquod prophanæ assentationis vestigium ex hac loci sanctitate exterminandam dicunt, atque insidiosa quadam simulatione pietatis, pietatem ipsam oppugnant, ac funditus evertunt: quasi hoc idem institutum non fuerit priscis, hoc est optimis Ecclesiæ temporibus usurpatum, & perenni, ac divina cæremoniarum quasi Religione consecratum: & quasi non extent pulcherrimæ Joannis Chrisostomi, Gregorii Nazianzeni, Basilii, Hieronymi, aliorumque Ecclesiæ Patrum funebres Orationes, in quibus ipsorum ingenium admiramur, pietatem agnoscimus. Neque enim pium esset, neque justum, hominum, qui in sæculo potentes fuerunt, nomina, & facta, quæ plerumque silentio, ac tenebris defendi oporteret, omnibus eloquentiæ ornamentis illustrari; res autem gestas Sanctissimorum Ecclesiæ Antistitum, & de Christiana Republica optime meritorum debito laudationis honore fraudari; ut flagitii simile videri possit, quos superioribus diebus quasi parentes auguste colere, ac venerari solebamus, eos ipsos, vix ex oculis nostris ereptos per summam injuriam illaudatos præterire.

Sanctè igitur, sapienter, & more institutoque majorum fecistis, Eminentissimi Patres,

* Auctor Elogii Ludovici XV., quem Volterium fuisse dicunt.

cum Clementi XIV. Pontifici Maximo hoc ipso die, atque hoc sanctissimo loco hujusmodi honoris significationem decrevistis. Sed illud potius vereor, ut demortui hominis laudibus satis consuluisse videamini, cum me ad id muneris, non postulantem certe, sed prope invitum delegistis; invitum inquam, non quod recordatio beneficiorum, quibus a Sanctissimo Pontifice ornatus sum, animum meum quibusdam quasi aculeis non pungeret, atque commoveret, sed quod mearum virium imbecillitas satis commonebat, ne ad hunc locum, qui eruditione, & eloquentia præstantissimis viris semper patuit, omnino accederem. Fecit tamen proximo delectu declaratio animorum vestrorum, Eminentissimi Patres, ut mihi nefas ducerem voluntatem vestram meis omnibus rationibus non anteferre.

Laudabo igitur Clementem quoquo modo potero, sed ita ut intelligatis, me nihil loqui ad gratiam, sed omnia ad historiæ fidem vera, neque tam vera, quam nota, & Vobis ipsis quam mihi notiora; quos etiam inter Orationem meam, & veritatem quasi disceptatores, judices, atque arbitros ita constitui volo, ut neque falsæ laudis quicquam homini per me affictum, neque tamen veræ quicquam detractum fuisse deprehendatur. Hoc autem unum oro, atque obtestor, ut me multum dubitantem, neque modo judicia de me vestra, sed conspectum, vultusque vestros verentem pro singulari humanitate, ac benevolentia sustentetis, ac sicuti facere instituistis, benigne attentèque audiatis.

At-

Atque ut ea breviſſimè complectar, quæ etſi ad obſcuram, & privatam ejus vitam pertinent, omninò tamen ſilentio prætereunda eſſe non videntur: natus ille honeſtiſſimo apud ſuos loco, ea ſibi adhuc puer (uti accepimus) ſubſidia comparavit, quæ ad reliquæ vitæ curſum maximi momenti eſſe nemo non fateatur. Sedulò enim ingenium ad omnem doctrinam, animum ad cæleſtem ſapientiam excoluit, quarum quidem rerum luculentiſſima documenta edidit, cum Franciſcanæ Familiæ nomen dedit.

Hîc autem non ego dicendo perſequar hujus Familiæ gloriam jamdiù partam maximorum in Chriſtianam Rempublicam fama meritorum. Non commemorabo Pontifices Maximos & ſanctitate vitæ, & rerum geſtarum laude præſtantiſſimos. Neque tamen iſtud non ad laudem Clementis quodammodo pertinet, habuiſſe domeſtica exempla rerum præclariſſimarum: habuiſſe campum, quo ſui ingenii lumen oſtenderet, latèque explicaret. In quo etiam fortuna quædam, ſeu potius ſumma illa ratio omnia moderantis, atque ad certum finem dirigentis Dei, illi blandiri viſa eſt, cum ad multò perfectiorem ſui culturam nactus eſt egregios Magiſtros duos Sandrianum, & Antonium Lucium Epiſcopum Bovienſem, quorum ea pervaſit opinio ſanctitatis, & verò etiam miraculorum, ut de divinis honoribus utrique decernendis agi cœptum ſit.

Quum igitur ſub hujuſmodi Doctoribus virtutis ac doctrinæ tyrocinia Clemens poſuiſſet, atque non vulgari eruditione auctus, ornatuſ-

que esset, dignissimus visus est, qui suorum Magistrorum successor haberetur, atque in nobilissimis Italiæ Lyceis Franciscanæ suæ Familiæ Alumnos ad sublimiores facultates informaret. Quo quidem munere Bononiæ primum, ea in Urbe, quæ domus semper est habita doctrinæ, magna cum laude perfunctus est. Mox Mediolani, & demum Romæ in celeberrimo illo Collegio, quod ab inclito Ecclesiæ Doctore Bonaventura nomen accepit, & in quod nonnisi summis viris, de quorum ingenii præstantia periculum diu multumque factum sit, aditus patet.

Quum autem illius virtutis ac doctrinæ opinio longe lateque percrebuisset, duo Pontifices Summi eadem opinione permoti, maximis honoribus illum certatim cumularunt. Sapientissimus enim Pontifex Benedictus XIV. ex umbratili, ac domestica scholarum exercitatione eduxit in lucem atque eo uti voluit Consiliario, atque adjutore suo in difficillimis atque impeditissimis Catholicæ Fidei quæstionibus explicandis. Clemens autem XIII. Sanctissimus, atque incorruptissimus, quæ maxima virtuti, ac doctrinæ præmia tribui a Pontifice Summo possunt, prolixè largitus est, eumque inter Romanæ Ecclesiæ Cardinales ritè cooptavit; tulitque judicii sui fructum, quod illum ipsum proximè futuris annis successorem suum præsignavit.

In tanta dignitatis accessione quam modeste, quam non superbè, nec arroganter sese gesserit, nemò ignorat: non alios certè indue-

re

re mores, non aliam in vultu, in ſermonibus, in convictu, in conſuetudine vitæ rationem inire viſus eſt, quam quæ Religioſum hominem deceret. Difficile quidem eſt, homines ab humili ad excelſiorem gradum evectos regiones officii non prætergredi, ac fortunæ ſplendore, atque etiam inſolentia non commoveri!

Sed jam ad Pontificatum, qui ad ſeſe jamdudum vocat, & quodammodo abſorbet orationem meam, contento ſtudio, curſuque veniamus. Facite igitur primum Vobis in mentem veniant Comitiorum tempora, quibus poſt hominum memoriam nihil fœlicius, nihil auguſtius ſanè fuit. Id enim meminiſſe vos decet quod nulla vel remotiſſimæ poſteritatis delebit oblivio, cum glorioſiſſimus Cæſarum Joſeph II. qui Juvenis Europam univerſam in admirationem rapuit ſui, Romam convolavit, in Vaticanas Ædes pedem intulit, atque auguſta illa comitia præſentiæ ſuæ luce illuſtravit. Nihil profectò jucundius Urbs unquam vidit, nihil Romanæ Eccleſiæ honorificentius, nihil auſpicatius futuro Pontifici. Itaque ea ſtatim opinio longè, latèque percrebuit, ex hujuſmodi Comitiis, quibus tanta fortuna adjuncta divinitus fuiſſet, neſcio quid plane ſingulare extiturum. Neque multo poſt idem ille, in quem Auguſtiſſimus Cæſar intendiſſe oculos, quaſi futuræ dignitatis prænuncios, dicitur, creatus eſt Pontifex Maximus.

Sinite hoc loco, me Clementis laudes vobiſcum communicare, quorum plerique pleniſſimis illum ſuffragiis ad ſummum humanæ

gloriæ faſtigium extuliſtis. Nam qui divino ipſius Clementis judicio in ampliſſimum iſtum Ordinem deinceps cooptati ſunt, ſi pii, ſi grati, ſi memores eſſe velint non poſſunt certe Clementis laudibus non ſuffragari. Revocate quæſo animis tempus illud, cum juris jurandi religione propoſita de Summo Pontifice eligendo ageretis; atque iterum paulo diligentius expendite, quæ veſtra mens, quis ſenſus fuerit ſuffragiorum veſtrorum. Vos profecto neque temeraria quadam voluntatum inclinatione, neque cupiditate, neque ſpe, neque metu aliquo adducti hunc hominem ab omni partium ſtudio, a contentione omni remotiſſimum, atque in ipſis Comitiis pene latitantem in apertam lucem produxiſtis, ac tot clariſſimis Viris & dignitate generis, prudentiæ ſapientiæque laude, & vitæ ſanctitate ſpectatiſſimis in Supremo Pontificatu deferendo præponendum exiſtimaſtis. Vos omnia animo conſilioque circumſpicientes, ac ſedulo reputantes quid Chriſtianæ Reipublicæ ſtatus, quid illorum temporum conditio poſtularet, arbitrati plane eſtis, neminem fore, qui Catholicam Eccleſiam, temporum turbulentiſſimorum procellis jactatam, poſſet in tutiſſimum portum expeditius, fœliciuſque perducere.

Ac revera vix Clementis XIV. ex Vaticanis Ædibus nomen eſt renunciatum, tanta Romæ lætitia repentè oborta eſt, ut maximæ cujuſdam fortunæ certiſſimus nuncius ad omnium accidiſſe aures videretur. Nos ipſi incredibilem illam frequentiam vidimus o-

mnium

mnium ætatum, atque ordinum inuſitato gaudio geſtientium. Nos voces ipſas lætitiæ indices, teſtes approbationis percepimus. Nos omnium ora, vultuſque perſpeximus, ex quibus certiſſima futuræ fœlicitatis ſpes eminebat. Eædem lætitiæ ſignificationes, eadem ubique gentium approbatio conſequuta eſt.

Utrum autem veſtræ, & communi omnium expectationi Clemens reſponderit, Vobis ipſis, qui ad gubernacula ſedetis in puppi, dijudicandum relinquo. Ego quæ palam facta ſunt, quæ in oculis, in auribus, in ſermone omnium verſantur, non poſſum tacendo diſſimulare. Hîc autem ſemel atque iterum occurrit diligenter animadvertendum, quæ illi, cum Pontificatum iniit, Pontificatus adminiſtrandi conditio oſtendebatur. Nam permagni momenti eſt cum omnibus in rebus, tum in actionibus clariſſimorum hominum dijudicandis ratio, atque inclinatio temporum. Erant (quod non ignoratis) perturbata, erant plena timoris omnia. Videbatur ob obſcuras quaſdam ſuſpiciones deferbuiſſe priſtina illa benevolentia erga Matrem Filiorum chariſſimorum, & ſanctiſſimum illud charitatis vinculum, quo Catholici Principes cum ſummo Religionis Antiſtite adſtringuntur, ſin minus diſſolutum, certè quidem magno cum bonorum omnium mœrore relaxatum videri poterat. Virum igitur magni animi, magni conſilii, magnæque ſolertiæ illa tempora quærebant, qui nulla difficultatum mole deterritus, non præjudicatis opinionibus abreptus, oblitus ſui, id cogitaret, id ſpectaret unum,

ut

ut Chriſtianam Rempublicam quacumque ratione componendam ſuſciperet. Suſcepit ſane quidem Clemens; & primum omnium cautionem adhibuit maximam, ut cupiditatis, & contumaciæ ſuſpicionem omnem a ſe amoveret. Hujus ſtudioſiſſimæ voluntatis ſuæ præclara fundamenta jecit in iis literis, quas uno exemplo vix Pontifex renunciatus, dedit ad ſingulos Catholicæ Eccleſiæ Antiſtites; in quibus cum multa graviter, copioſè, doctèque in hanc rem diſſeruit, tum nihil vehementius monet, quam ut populi Regibus quiſque ſuis obtemperent, atque obſequantur: ita enim ſummum divinæ legis Auctorem diſertè præcepiſſe: ita Romanam ſemper Eccleſiam ſenſiſſe: atque hanc denique eſſe ſibi altius defixam animo ſententiam, quam ut ab ea ulla unquam ratione dimoveri poſſet. Extant aliæ pulcherrimæ literæ, quas non ſemel ad Principes dedit, in quibus conſiliorum ſuorum integritas, & incredibile pacis ſtudium mirum in modum elucet. In illis ſæpè ad ultimas preces ita deſcendiſſe videtur, ut omnium controverſiarum a Deo, & ab ipſorum Principum pietate, animique amplitudine exitum ſibi polliceretur. Si aut lætum aliquid, aut triſte nunciabatur, quod ad ipſorum Auguſtas Familias pertineret, ſtatim publicis indictis ſupplicationibus ad Templa ipſe convolabat, ac Regem Regum, & Dominum Dominantium caſte precabatur, ut iis bene omnia, fœliciterque evenirent. Si quid æqui erat, quod ab ipſis rogaretur, non concedebat modo, ſed prolixe, cumulatèque

con-

concedebat : neque dubitabat ſuo de jure aliquid remittere, modo ad eorum benevolentiam conciliandam muniret viam : palam dictitans indulgentia, & obſequio Filios allici ad bene de Romana Eccleſia promerendum. Legatos Regum, ac Principum quam benevolè, quam officiosè in ſuam amicitiam, & familiaritatem admittebat, ut rectorum ſuorum conſiliorum eſſent ſuffragatores, prædicatores, ac teſtes. Hinc factum eſt, ut Clemens apud Reges, Principeſque auctoritate, & gratia floreret tanta, ut nemo noſtra memoria illis acceptior, nemo fuerit gratior. Hinc qui aditus ad aliquot Reges legatis Apoſtolicis intercluſus jamdiu fuerat, ſtatim patefactus, iidemque legati non ſine magnis honoris, & reverentiæ ſignificationibus excepti. Hinc ampliſſimæ Provinciæ, totidemque Urbes, quas a Pontificis imperio avulſas diſtractaſque dolebamus, iterum in ſua jura receptæ. Hinc denique oborta ſpes non inanis, fore, ut præfocatis, vel evulſis ſeminibus diſſenſionum omnium optatiſſima illa Sacerdotii, & Imperii concordia in Chriſtiana Republica tandem aliquando exiſteret, atque efflorefceret. Etenim hæc duo una ratione, atque una conſenſione Religionis ita divinitus conſtricta ſunt, ut alterum avulſum ab altero per ſe ipſum conſtare, & vim, ſtabilitatemque ſuam conſervare vix, & ne vix quidem poſſit. Sed divinam hanc neceſſitudinem ad Catholicæ Fidei præſidium, & commune bonum retinere, majus quiddam eſt, quam ut humanis viribus, &

con-

consilio perfici possit. Munus est Immortalis Dei, qui solus largiri potest quod optimum est, ut velimus, & ut assequamur. Ingratus tamen injustusque est, qui Clementi hanc ipsam (quoad ejus fieri potuit) reconciliatæ concordiæ laudem aut invidet, aut detrahit.

Satis hæc, neque tamen pauca, neque exigua, ex quibus effici potest, Clementem id quidem præstitisse propter quod Vos ipsi in altissimo illo dignitatis gradu prudenter collocavistis.

Sed aliis etiam radicibus innixæ sunt Clementis laudes, hoc est incredibili abstinentia, frugalitate, temperantia, quæ virtutes ita in illo eminere visæ sunt, ut ultrò in omnium oculos incurrerent, omniumque admirationem excitarent. Nimirum Vir summè frugi semper ab omni luxu, a profusis sumptibus, a pretiosa, lautaque supellectile abhorruit: jam vel in ipso Pontificatu ita vitam instituit, ut a modica, humilique fortuna vix distare videretur. Nihil unquam ad privata commoda, omnia ad publicam utilitatem referebat, nihil de Principatu ad se spectare arbitrabatur, præter curas, atque solicitudinem.

An verò aliquid vel modicæ liberalitatis suos in consanguineos, atque affines contulit, quo eorum ægestati consuleretur? Magna hæc, atque inaudita abstinentiæ exempla! quæ profectò si quis non indisertus Orator nactus esset, quam accuratè, quam artificiosè exaggeraret! neque ego fortasse non possem, sed in tanta rerum dicendarum segete mihi in animo

mo eſt, unamquamque rem curſim pertranſire, ut quiſque facile intelligat, non tam ſtudiosè, quam verè a me Clementem collaudari.

Hujuſmodi igitur tam ſingulares, tam egregiæ virtutes difficile dictu eſt, quantam apud exteros exiſtimationem, quantam apud Catholicos omnes auctoritatem, laudemque Clementi pepererint. Catholicos dico? Illæ etiam Nationes, quæ avita ſuperſtitione inductæ a Sede Apoſtolica diſſentiunt, ea tamen de Clemente prædicabant, ut tam illuſtrium virtutum miraculo vehementer illas commoveri appareret.

Jam verò quum duæ in Romano Pontifice diſtinctæ Perſonæ deprehendantur, una quidem Pontificis, Principis altera, hanc non minori cum laude Clemens tuebatur. Et mihi quidem multarum Nationum, ac Populorum dominationes conſideranti perbeati videntur, qui juſto ac moderato Sanctæ Sedis imperio parent; ut minime mirum videri debeat, ſi exteræ quæque Gentes huc libentiſſimis animis confluant quaſi in portum, arcem, præſidium otii, & non inanis libertatis. Erga hos autem dici ſatis non poteſt, quantam Clemens paterni amoris abundantiam oſtenderet.

Etſi autem non defuerint, qui nimiam ejus parſimoniam, quæ optimum Principem minus deceret, reprehendant, facillima eſt, & prompta defenſio. Nihil enim facilius eſt vel ſtultiſſimo Principi, quam quoquo modo liberalitatis ac munificentiæ laudem aucupari, ſi, ut ſæpe fit, nulla publici Ærarii, nulla commu-

munium utilitatum ratione habita, quæ ad universæ Reipublicæ bonum pertinent, vix paucis largiatur. Sed sapientissimi Principes, qui regnandi artem probè callent, malunt sæpenumero hac populari carere laude, quam incommodo illi inservire; malunt minus indulgentes in paucos, quam novis imponendis vectigalibus, ut inconsideratis largitionibus semper aliquid suppetat, crudeles in universam Rempublicam videri.

Prodeant igitur, si qui sunt, Clementis parsimoniæ obtrectatores, ego universam Pontificiam ditionem testem profero, in quam certè fuit beneficentissimus. Nullum enim novi vectigalis, novi tributi, novi portorii nomen, eo regnante, auditum est. Plura etiam vetera vectigalia, ex quibus non tenue lucrum ad Ærarium pervenisset, ad tenuiorum hominum inopiam sublevandam sustulit.

Si quid præterea Clementi proponeretur, in quo vel in præsens, vel in futurum tempus publicæ utilitatis spes aliqua affulgeret, id cupidissimè arripiebat, neque ullis parcendum sumptibus arbitrabatur, quo rem omnino perficeret. Quum ad coëmendas peregrinas vestes, quarum usus in Urbe erat frequentissimus, atque communis, infinita propemodum auri vis exportaretur, magna impensa effecit, ut eædem merces in posterum domi pararentur.

Admonitus non mediocriter referre ad alliciendam exterorum hominum frequentiam, si quæ sæpissime erui solent admirandæ antiquitatis vestigia, una colligerentur, splendidissi-

diſſimum Muſæum illud incredibili ſtudio in Vaticanis Ædibus excitandum curavit.

Teſtes etiam ſunt permultæ Eccleſiaſticæ Ditionis Civitates Ferraria, Ariminum, Aſſiſium, ubi pulcherrima beneficientiæ Principis monumenta extant immortalitati conſecrata.

Neque verò ſilentio illud præteriri poteſt, quod pro bono Reipublicæ non minus, quam Religionis munificentiſſime erogavit. Veſtram hic fidem imploro * o Romanæ Eccleſiæ clariſſima lumina, o Præſules genere, dignitate, Religionis ſtudio præſtantiſſimi, quibus Neophitorum (quos vocant) cura commiſſa eſt. Nonne domus illa, in qua qui a vetere ſuperſtitione, atque errore ad Catholicam veritatem traduci flagitant, ut Chriſtiana doctrina ritè imbuantur, plus centies millies nummûm Clementi acceptum retulit, quo veteri alieno ære maximo diſſolveretur; ac multo pluribus in poſterum Alumnis pateret? Ita profecto eſt. Nihil Clemente liberalius, nihil magnificentius fuit, præſertim ſi de re ageretur, quæ eſſet cum Catholicæ Religionis incremento conjuncta.

Quid dicam de liberalitate, quam erga Epiſcopos adhibuit, quibus, ſi inopia laborare intelligeret, tributum, quod ob delatam recentem dignitatem Pontifici Romano perſolvi ſo-

* Eminentiſs. Card. Serbellonus, Alexander Albanus, Caraffa.

ſolet, aut omnino aut magna ex parte remittebat?

Equidem cum hæc omnia animo complector, planè dubitare non poſſum, quin probè jam conſtitutis Ærarii publici rationibus, illius munificentia etiam ad privatos homines perventura eſſet, atque id temporis quidem Clementi arbitror, nunquam de ſingulis benemerendi voluntatem defuiſſe.

Sed quum rebus omnibus jam compoſitis ſatis ſibi, ſuæque adminiſtrationi læta, ac fœlicia omnia polliceretur, ecce fulmen, ecce improviſa calamitas: nam inveteratæ cujuſdam acrimoniæ vitio corruptus quum ſanguis illius efferbuiſſet, febris unà ſimul exarſit, qua ferociter inſæviente paucos poſt dies conſumptus eſt. Oh fallaces hominum cogitationes! oh fragilem, & caducam humanæ naturæ conditionem! oh lubricam volucremque fortunam! Hem quò triumphales illæ voces, cum Pontifex eſt renunciatus, quò illi plauſus, atque acclamationes maximæ poſt breviſſimum tempus reciderunt!

Sed in extremo hoc vitæ actu, quo Chriſtiana fœlicitas continetur, quæ pietas, quæ fortitudo animi, qui Religionis ſenſus Clementi fuerint, habetis, Patres Eminentiſſimi, ex ſpectatiſſimo Viro ſummo Familiæ Conventualium Præfecto, qui morienti ſemper adfuit, atque propter vetuſtiſſimam conſuetudinem omnes Clementis Arcanos animi receſſus, ac latebras novit, cujus auctoritas propter ſingularem ſapientiam, atque pietatem gra-

graviſſima omnibus eſſe debet. Atque ego ex eodem integerrimo viro audivi, quum ſanctiſſimè teſtaretur, ſe, dum morienti adeſſet, dum piacularem Confeſſionem exciperet, dum identidem faces illi admoveret, & quaſi igniculos eliceret, quibus Clemens ad rerum divinarum contemplationem, atque amorem incenderetur, inuſitato quodam voluptatis ſenſu perfuſum fuiſſe; propterea quod ex illius animi motibus, ex piiſſimis vocibus, precibuſque, quas magna contentione ſæpiſſime emittebat, de futura illius perpetua fœlicitate certiſſima ſibi ſpes affulgeret.

Hactenus expoſui non ad ſcenam, & pompam, ſed ferè ut potui ad ſimplicem rationem veritatis, quæ ad tantum Pontificem collaudandum pertinere arbitrabar. Cujus tamen egregiis, veriſſimiſque laudibus non modò quidquam mihi videtur detractura, ſed aliquid etiam additura poſteritas, quæ, ſi quæ ſunt, temporis vetuſtate vel reſtinctis, vel obliteratis cauſis offenſionum incorruptius judicabit. Sunt autem ſimulacra quædam, quorum præſtantia non ſatis perſpici poteſt, niſi a propius intuentium oculis removeantur, ac tum denique in bono lumine collocata ſunt, cum aliquantò longius diſtant.

Cæterum ſi quis veſtrum aliquid humanæ labeculæ etiam Clementi adhæſiſſe contendat, equidem non vehementer repugnabo. Neque enim ſum neſcius in Clemente, quamquam Pontifice Maximo, hominem tamen a me fuiſſe collaudatum, in quo, ipſius conditione na-

turæ, perfectiſſima, numeriſque omnibus abſoluta virtus eſſe non poteſt. Si quid igitur in tam incredibili varietate fortunæ, in tam diuturno vitæ curſu, & inter caſus, viceſque rerum contraxit, quod adhuc eluendum expiandumque ſit, veſtræ pietatis eſt, dum maxima cæremonia, ac religione illi juſta funeris perſolvitis, veſtræ, inquam, pietatis eſt, veſtris obſecrationibus ſacrificiiſque gratiſſimis placatum illi Deum, atque exorabilem efficere.

Et quoniam hic ipſe auſpicatiſſimus dies Vos id commonere videtur, Divum Franciſcum adhibete advocatum, ſequeſtrum, deprecatorem, hoc eſt Parentem pro Filio apud Chriſtum Jeſum, qui propter tot, & tam ſingularia ipſius in Chriſtianam Rempublicam merita, propter admiranda illa divinæ Imaginis veſtigia, quæ in ejus corpore hærebant infixa, propter luculentiſſima exempla virtutum pulcherrimarum, quæ hodie ampliſſimis, ac meritis laudibus in cælum efferuntur, propter hæc omnia, & præſertim propter divinæ ſuæ miſericordiæ vim, veniam Clementi XIV. Pontifici Optimo Maximoque pacem, ac ſalutem tribuat ſempiternam.

PHI-

PHILIPPUS BONAMICIUS

CASTRUCCIO FRATRIS FILIO

S. P. D.

LIteras a te nuper accepi, quibus fausta læta secunda mihi omnia Natalitiis redeuntibus ominabaris. Quas literas etsi subrustico quodam timore conscriptas fuisse præteferas, quod verebaris reprehensionem aliquam meam, tamen scito eas mihi pergratas accidisse. Maluisti enim amori erga me tuo obsequi, ita ut verissimè dictum constet, *quod caritas foras mittit timorem.* Sed minimè dubitare debes, omnia a me, etsi quid etiam reprehensionis futurum fuisset, tamquam a Patruo, vel potius Patre amantissimo proficisci. Itaque hoc tibi in primis a D. O. M. enixè precor, ut is in perpetuum sis, quem esse omnino cupio, hoc est modestus, pius, & literarum maximè studiosissimus. Mirificè enim his laudibus, atque virtutibus tum mihi, tum tuis, bonisque omnibus carus eris. Rectorem Seminarii, quem plurimi facio, salvere jubebis meo nomine. Vale.

PHILIPPUS BONAMICIUS

NICOLAO FERRIO

S. P. D.

SImulac a Viro ſane erudito Jo. Chriſtophoro Amadutio perlatus ad me fuit Adrianus tuus, illum etiam atque etiam rogavi, tibi ut meo nomine de hoc præſtanti labore tuo maximopere gratularetur. Cui quidem officio ipſe meis literis feciſſem ſatis, niſi ad multiplices, graveſque curas, quibus quotidie diſtineor, accederent etiam obrepentis incommoda ſenectutis, atque illud in primis, quod oculorum ſenſus in ſcribendo non mediocriter defatigatur. Quo fit, ut ad abſentes amicos rarius ſcribam, neque pulcherrimas hujuſmodi amicitias colere mihi tam frequenter liceat, quam vellem. Magnam tamen illis habeo gratiam, qui quum me probè norint, non ſanè iniquo animo ferunt, ſi minus diligens aliquando ſim in ſcribendo. Sed hac Amicorum indulgentia me tecum abuti non ſinit, immo ad ſcribendum vehementer excitat ſingularis ille, qui in literis ad me nuper datis ſe prodit amor erga me tuus; cui profectò tribuo, ut facultates ingenii mei multo tibi ampliores videantur, quam revera ſint. Nam ad Fratrem meum Caſtruccium quod attinet, libentiſſimè accipio laudes, gaudeoque judicium tuum de ejus ſcriptis a cæterorum hominum judicio non diſcrepare. Cæterum ut ad te redeam,

deam, quam vellem ut pereruditus labor tuus in fortunatiora tempora incidisset. Pauci nunc in Italia, paucissimi extra Italiam latinas literas colunt; sed quo pauciores sumus, qui Latini Imperii reliquias tuemur, eo acrius allaborandum est, ne illæ penitus intercidant. Itaque hujusmodi perelegantibus opellis de Republica literaria bene mereri ne desinas, ac me quæso utere, ut tui amicissimo. Vale III. Cal. Junii MDCCLXXII.

PHILIPPUS BONAMICIUS

AMPLISSIMO PRÆSULI

FRANCISCO HERZAN DE HARRAS *

S. P. D.

QUI quod habet, quantulumcumque est, Amico obtulit, pleno amicitiæ functus est munere. Animum enim spectat amicitia, non rem, quæ parva licet, magni amoris indicium esse potest. Ego quidem ut magnificum, & splendidum quidvis tibi opto, sic quid aptius hoc

* Hanc Epistolam cum Munusculo misit ad Amplissimum Virum recens Purpurâ ornatum.

hoc tempore largiar non habeo, & quo tibi gratius jucundiusque accidat per manus Victoriæ Odeschalchiæ Fœminæ, quotquot Romæ sunt, ingenio, doctrinâ, morum sanctimoniâ præclarissimæ, tuique amantissimæ ad te perferendum existimavi. Vale.

PHILIPPUS BONAMICIUS

SUSANNÆ LEMETRIÆ MENCAQCIÆ

S. P. D.

NON assequor ut scribam quantam ex tuis literis, quibus gratias agis, quod meum Commentarium *de Vita, & rebus gestis V. S. D. Innocentii XI.* dono tibi miserim, ceperim voluptatem. Ex iis enim vetus illud & perpetuum virtutis, ac literarum studium, & propensum in me animum, egregiamque voluntatem facile cognovi. Etsi enim utraque res mihi erat multis ante argumentis cognita, atque perspecta, tamen incredibile est quam mihi jucunda fuerit renovata hæc literarum benevolentiæ, & humanitatis plena significatio. Quod verò tantas in me laudes congesseris, superbiorem fortasse me fecisses, nisi intelligerem quam sibi fere indulgeat amicorum be-

benevolentia in amplificandis amicorum laudibus, & propterea te mihi multò plus affingere, quam ego me ipsum intuens possim agnoscere. Utcumque tamen res sit, & de ipso laudum testimonio, & de gratulationis officio, quod tuis literis persolvisti, ago gratias quas possum maximas, & quominus nunc studio obsequar meo colloquendi fit multis magnisque occupationibus, quibus, quomodo nunc est, ita distineor, ut pene obruar. Quod inde potes coniicere quod non mea manu hanc Epistolam conscripserim, sed dictaverim. Quod reliquum est rogo, ut valetudinem tuam quam diligentissimè cures, & vetuli Amici ne oblivi-scaris. Vale.

PIO VI.

PONTIFICI MAXIMO

PHILIPPUS BONAMICIUS

S. P. D.

FUit hoc in more positum apud bene institutas Civitates, ut beneficiis excellentes Cives colerent, eorumque memoriam quadam quasi religione consecrarent, tum ut gratiam benemeritis aliquam referrent, tum ut posteros ad eorum imitationem excitarent. At non solum ii de Patria benemeriti existimandi sunt, qui vel bellicis laudibus, vel literis, vel summâ rerum gerendarum prudentiâ claruerunt; verum etiam, multoque magis, qui non in conspectu mundi, & strepitu, sed in solitudine, & quasi tenebris, castissimis apud Deum precibus adhibitis, & exemplis virtutum pulcherrimarum editis, præsidium Patriæ, & decus, ac lumen attulerunt. Horum enim gloria non oblivione, non invidiâ hominum obruitur, sed Sanctissimæ Religionis radicibus subnixa floret semper, jucunda apud Posteros recordatione meritorum. Hac vera solidâque gloriâ præfulgentem Guidonem Mariam a Luliano Civem suum ex angusto Cappuccinorum Cœnobio eductum ante pedes Tuos, Beatissime Pater, sistit Respublica Lucensis, ut pro Tua benignitate digneris initia ponere Causæ ipsius Canoni-

ni-

nizationis. Multa enim, & mira prædicantur de gravitate animi, de suavitate morum, de abstinentia, & austeritate vitæ, de devotione præfervida, de humilitate contemptuque sui ipsius ac mundi, de misericordiâ, de caritate non fictâ, deque aliis dotibus, ita quidem ut certissima spes suboriatur, Te, Beatissime Pater, vivæ vocis oraculo optatissimum Decretum pro Signatura, ut ajunt, Commissionis editurum. Hoc abs Te supplex orat Respublica Lucensis, cujus quidem optimæ, piissimæque voluntati suffragari, obsequi, præsto esse, Civis si quis alius debet, is ego sum, quem multis antè annis ipsa suorum negotiorum Curatorem perbenignè delegit apud immortalem Pontificem Prædecessorem Tuum Benedictum XIV., qui eamdem Rempublicam eximiis favoribus est prosequutus, & mihi ipsi in eo exequendo munere gravissimum, & Apostolicis consignatum literis, sedulitatis, fidei, & diligentiæ testimonium dedit. Hujus tanti Pontificis sapientiam cum Tu, Beatissime Pater, imitari & gloriam æmulari videaris, futurum equidem confido, ut pro Tua clementia, ac benignitate hoc novum Patriæ meæ ornamentum adjungere velis. Quod ad Pedes Tuos quam humillimè provolutus, atque una simul Apostolicam Benedictionem imploro.

Romæ Cal. Octobris MDCCLXXIX.

PIO

PIO VI.

PONTIFICI MAXIMO *

PHILIPPUS BONAMICIUS

S. P. D.

NON ſum equidem neſcius uſuvenire facile poſſe, ut perbrevis hic rerum geſtarum Innocentii XI. P. M. Commentarius, quem ut conſcriberem a me dudum contenderunt ii, quorum neque liberalitatem erga me ignorare, neque voluntatem negligere fas erat, in aliquam hominum reprehenſionem incurrat, verentium, ne ejuſdem publicatio inutilis, & his temporibus ac moribus minus accommodata eſſe videatur. Fuit aliquando tempus quum monumenta id generis plauſu aliquo exciperentur, ac retinere cum voluptate legentium animos poſſent! Nunc vero ſuperbo quodam faſtidio repudiantur Hiſtoriæ omnes, quæ

* Hanc Epiſtolam, ſive Præfationem Commentarii de Vitâ Innocentii XI. P. M. inchoatam tantùm, minimè verò perfectam nemo non agnoſcit. Et porrò nullum obtinuit locum in ipſo Commentario, quem aliâ omnino Epiſtolâ a Bonamicio miſſum videmus ad Pium VI. P. M.

quæ non humano sanguine imbutæ sint, nec populorum lacrimis redundent; atque ubi magna bella, funestissimæ clades, insignes victoriæ non perlegantur, aut saltem præsto non sint novæ exquisitæque rationes; quibus aut comportandis, aut exportandis mercibus, amplificari commercium, vectigalia augeri possint. Hujusmodi enim studiis hæc ætas mirum in modum favet. Quod quidem ferri posset, si recentium Auctorum ingenia hisce veluti finibus continerentur. Sed nihil in præsens frequentius literis traditur, nihil latius propagatur, nihil avidius perlegitur, quam quicquid ad exolvendas divinitatis metu hominum mentes spectet, atque ad evellendam penitus Sanctissimam illam Religionem, cujus Romani Pontifices Custodes, Præsides, Propugnatoresque semper fuere. Hujusmodi autem librorum, quos *politicos* vocant, perinde ac si non ad evertendas, sed ad constituendas Civitates idonei essent, ea vis est, eaque copia, ut & librariorum officinæ, & eruditorum Bibliothecæ numero penè obruantur. Quibus in libris improbi scriptores, ac publicæ tranquillitatis manifestissimi hostes, nunc apertis calumniis, non obscuris suspicionibus Sacrorum Ministris bellum indicunt, Divinamque illorum auctoritatem aut aspernantur, aut in invidiam vocant: Nunc Regibus, ac publicis Magistratibus auctores fiunt, ut ab hujusmodi hominibus sibi diligentissimè caveant, illis tamquam domesticis hostibus, atque insidiosis amicis obsistant; neque aliter fieri oportere contendunt,

ut

ut ſalus ægræ ac labenti Reipublicæ reſtituatur: Egregii videlicet Medici, qui ſaniorem, magiſque integram corporis partem abſcindunt, atque exſecant. Sed multo etiam crudelius petitur Caput ipſum Religionis. Neque illos pudet, venenata illa tela, quæ tamen toties rejecta, ac retuſa ſunt, ab Hæreticorum armamentariis iterum depromere, quibus contra Romanos Pontifices bellum inſtaurent. Atque hæc tenebricoſiſſima Scripta Europam univerſam longè, latèque pervagantur, omnium teruntur manibus, ſinu excipiuntur, atque illorum lectioni omne ſuum tempus & otium eruditulí plerique omnes tranſmittendum putant.

COM-

COMMENTARII
DE VITA
INNOCENTII XI. P. M.
AD JOSEPHUM ODESCHALCHIUM*
PRÆFATIO.

NEque mihi illa deliberatio difficilis fuit, cuinam potiſſimum perbrevem hunc Commentarium, ut mos eſt, inſcriberem, conſecraremque. Quum enim ſi quiſque alius hoc ſuſcepiſſet laboris, tamen optimo jure illis tribuendum arbitraretur, ad quos ab Innocentio XI. tantum nominis, dignitatis, ac ſanctitatis acceſſit, quid me conſtituere oportebat, qui ab Odeſchalchia gente tot, tantiſque beneficiis ornatus, cumulatuſque ſemper fui, ut illi non ſolum mea omnia, ſed me ipſum prorſus debere fatear. Veteri igitur Odeſchalchiæ gentis Clienti, novum hac præſenti in re patrocinium quærendum certè non fuit. Omnium

* Hæc quoque *Præfatio*, quæ inter Philippi Bonamicii ſcripta reperta eſt, nullum habuit locum in Commentario de Vitâ Innocentii XI. P. M.

mnium tamen Innocentii XI. Nepotum tu mihi primus statim occurristi, JOSEPHE, cui hoc munusculum multo gratius, acceptiusque futurum sperem. Hic enim Commentarius non modo in te rerum pulcherrimarum, quas privatim, publiceque Innocentius gessit, excitare, ac fovere memoriam, sed Te ad imitandum incitare, atque incendere vehementissimè potest. Novi enim quantum domestica laus apud generosos præsertim adolescentes virium, ac momenti habeat. Itaque fieri nequit, ut hæc legens acriori quodam imitationis studio non exardescas, neque illius persequi vestigia, ac facta imitari contendas, cujus Ecclesiasticum vitæ genus sequi jampridem constituisti. Quam quidem imitationem eò faciliorem Tibi futuram puto quo verius affirmare possum Te hactenus ita luculenter adolescentiam traduxisse, ut cum Innocentii adolescentia comparari optimo jure possit. Hoc certè de Te sibi pollicentur ornatissimi Parentes Tui. Hæc omninò est Romæ totius expectatio, ut Innocentium XI. non minus Ecclesiasticæ vitæ instituto, quam Ecclesiasticis virtutibus referas. Per quam paucissimi profectò æquè felicibus ac Tu auspiciis Ecclesiæ nomen dedere. Illa enim multis nominibus conspicua Claræ Vallis apud Insubres Ecclesiastica Præfectura, quæ multo senioribus, atque jam emeritis viris tribui vulgò solet, Tibi adhuc adolescenti, ac penè puero tributa est: eàque præterea ut Tu ornarere se ultrò abdicavit Cardinalis Borromæus Vir summà religione, insigni pietate,
mul-

multiplici reconditâque doctrinâ instructissimus. Sed tamen aliquis adolescentiam Tuam considerans fortasse affirmabit, prima hæc ornamenta aut generis nobilitati, aut fortunæ, aut Parentum, Amicorumque benevolentiæ Te accepta referre oportere. Verum enim verò si qua cœpisti viâ pergas constanter insistere, in hoc præsertim ætatis flexu, in quo perturbationes vehementius insurgunt ac prudentissimum quemque, nisi diligenter prospiciat, a recto cursu deturbant, si pulcherrima hæc virtutum omnium exempla Tuis sæpe subjecta oculis magis, ac magis ad Avi Sanctissimi imitationem incendent, atque inflammabunt, perbrevi efficies, ut ea quæ jam consequutus es, quæque procul dubio in posterum assequeris Ecclesiasticarum dignitatum ornamenta non aliis, sed Tibi, non fortunæ, sed virtuti, non generis, ac fumosarum imaginum commendationi, sed vitæ morumque nobilitati, ac splendori tributa fuisse nemo non fateatur.

PHI-

PHILIPPUS BONAMICIUS

ALOYSIO CARD. VALENTIO

IN HISPANIA DEGENTI

S. P. D.

QUum tu, clarissime Valenti, sive a natura ita factus, sive a doctrina ita institutus sis, ut ab illorum inconstantia, ac levitate quammaximè abhorreas, qui novis dignitatibus, honoribusque aucti, veteres amicos negligunt, atque officio salutem dicunt; equidem eo confidentius operà tuâ utendum mihi in præsens arbitror, quo majores adeptus es dignitatis gradus, atque auctoritate, gratià, cæterisque facultatibus præstas. Agitur autem res, ad quam ex sententia conficiendam magis idoneum, quam tu sis, profectò reperio neminem. Dum enim Salustium a Celsissimo Principe Antonio hispanicè versum diligenter perlego, mirorque Regium Adolescentem jam id molitum esse, quod ad gloriam sui sempiternam valet, ea me lectio admonuit, ut Commentarii de Rebus ad Velitras Gestis editionem septimam, quam adornandam susceperam, illius nomini inscriberem, consecraremque. Spe enim statim in eam cogitationem deductus sum, Regio Principi, qui hujusmodi præsertim studiis delectatur, id non ingratum fortasse munusculum fore, sive quod Commentarius ille gloriosissimum

Ca-

Caroli III. Augustissimi Patris sui factum complectitur, sive quod ab eo scriptus est, qui in Borbonicis exercitibus semper stipendia meruerit, atque cum universa Familia sua in Borboniorum Principum clientelam benignissimè receptus sit.

Sed qui mihi faciles aditus ad Principem pandet? Qui hæc mea vota postulationesque ad ipsum perferat? Tu profectò esse debes, idemque contendas oportet, ut vetera beneficia, quæ in Bonamicios Borbonii Principes multa, & præclara contulere, hoc novo beneficio Regius Adolescens cumulare ne gravetur. Ac videsis an etiam conduxerit, ut in hac postulatione utaris Grimaldo Adjutore. Hunc enim summum Virum nullam detrectaturum operam spero, qua favere laudi possit Castruccii illius, qui virtutem Genuensium bellicam nuperrimè in defensione Patriæ prospectam suis Scriptis immortalitate donavit. Nulli denique curæ, laborique velim parcas, ut mea vota ad optatos exitus perducantur. Quod si impetravero, equidem nunc primum ab hisce latinis literis, quas aut nullis, aut levissimis præmiis hactenus excolui, maximum me cepisse fructum arbitrabor. Vale.

DISCORSO

RECITATO

NELL' ACCADEMIA QUIRINA.

DISCORSO
SULLA FACILITA' DELL' ANTICA ROMA
NELL' AMMETTERE
ALLA CITTADINANZA I FORESTIERI
RECITATO
NELL' ACCADEMIA QUIRINA

ALL' EMINENTISSIMO PRINCIPE

IL SIG. CARDINALE

NERI CORSINI

FILIPPO BUONAMICI.



Ovente pur troppo avviene, PRINCIPE EMINENTISSIMO, che gli uomini da soverchio amor proprio lusingati, le lodi loro, comecchè false, e da sfacciata adulazion presentate sieno, accettino nulladimeno per vere, e per leali:

Ma che le veraci, e non depravate commendazioni fosse chi stranamente ad onta e biasimo si recasse, estimava io, non potere in alcun modo avvenire, se a questi dì fatto non m'avesse l'esperienza accorto del contrario. Conciossiacosachè avendomi Voi imposto il carico di ragionare, non hà guari, nella ragguardevole Accademia de' Quirini, della quale siete Capo, e Moderatore illustre (che Dittator chiamano), ed essendomi io ingegnato di dimostrare, che la grandezza di Roma doveva i suoi principj, ed avanzamenti a quella benigna facilità, con la quale nel suo seno accolse, e arrolò tra' suoi Cittadini qual ch' egli fossesi forestiere; quantunque appo i più, che discreti erano, lodato io ne fossi anzichenò, furono nonpertanto alcuni, i quali, non sò da qual cagione mossi, quel genere di lode, di cui altro forse non può essere nè più vero, nè più magnifico, quasi biasimo e disonor fosse di Roma, fallacemente interpetrarono. Ma costoro troppo presti per avventura a mordere qualunque siasi cosa o buona o rea, non s' avvisarono, essere tutto il mio discorso appoggiato all' autorità sempre veneranda di un Cittadino Romano, il quale non si avranno i miei riprensori, cred' io, a male, che da molto più reputi, ch' essi non sono, per zelo verso la Repubblica, e per fama di sapere celebrato in tanto, che Padre fu della Patria il primo denominato, e solo meritamente tenuto d'ingegno eguale all' ampiezza dell' Impero di Roma. Or egli, Cicerone dico, il fondamento della grandezza, e gloria Romana pose, e fermò in quell' antico bellissimo istituto, co-

tan-

tanto, e in tanti luoghi delle divine opere sue da lui approvato, e da' miei censori forte biasimato, di far Cittadini non pure i forestieri, ma i nemici stessi eziandio, dove gli antichi sdegni posti giù, s' arrecassero a vivere con Roma amichevolmente. Del quale istituto non veggio certamente, perchè, come di cosa vile e vituperevole, debba l' antica Roma vergognarsi; se per avventura arrossir non si vuole, e pentire della lodata sua cortesia, magnanimità, prudenza, le quali virtù tutte nell' anzidetto istituto maravigliosamente risplendono: Nè tampoco comprendo, perchè degna di pregio, e di lode si reputi una città, la quale procuri per lo acquisto di peregrine ricchezze prosperare, e aumentarsi; e non sia da molto più estimarsi, e con vere laudi celebrarsi Roma, che la virtù, ben più che l' oro, e che l' ostro pregiabile, a sè d' ogni parte traendo, ricco tesoro ne fece, ond' ella poscia salse al colmo della potenza, e della gloria.

Che se v' ha pure di quelli, che stimano, un sì alto e prudente principio non doversi, o non potersi in verun modo accomodare al regolamento della presente Roma, e, quasi ferocemente opposto io mi fossi alla oppinion loro, caricansi di sdegno, e romor levano; costoro in aria, come dicesi, favellano, e in vano si affaticano a prendersi briga, e darla altrui. Perchè, quando mai mia intenzion fu di adattare al moderno l' antico? E in qual parte dell' Orazion mia orma benchè lieve apparisce di sì fatto adattamento? Laonde o cessino cotesti riottosi uomini di appiccare una stravagante e inu-

til zuffa con esso meco; o sì vadano, e se la prendano con Cicerone, Tito Livio, Tacito, Plutarco, i sentimenti de' quali ho io fedelmente copiati, e recati in mezzo.

Quantunque se fosse alcuno, il quale mosso dalla riflessione del santo, e dotto Padre Agostino, che afferma, l' Impero di Roma essere stato quasi una preparazione di quello della Religione, se alcuno fosse, dico, il quale congbietturasse, che il generoso costume di ricevere nel grembo della Romana Cittadinanza qualunque forestiere, e nemico ancora, aperto avesse per consiglio della Divina Provvidenza, e spianato infin d' allora la via a quella facilità, con cui stende ora la Cristiana Religione le materne pietose sue braccia vers' ogni Popolo e Nazione; sì che ogni Popolo e Nazione avvezzasse gli animi a riverire, e obbedir quella Roma, che fu già Porto, e Rifugio sicuro di tutte le genti, ed ora è Madre e Maestra universale della nostra Religion santissima, per la Sedia, ivi col Divin volere fondata, del Capo visibile della Chiesa (oggi BENEDETTO XIV. Figlio e ornamento d' una Città, onde pur ebbe Roma tanti uomini chiarissimi e grandi, che la illustrarono): Chi dunque per sì fatta guisa congbietturando ragionasse, ragionerebbe egli, mi si dica in grazia, con lode, o con biasimo della presente Roma? Ma lasciando questo stare, io son certo, che i diritti, e non appassionati estimatori delle cose giudicheranno, qual sia più da riputarsi per verace Romano; o chi la magnanimità e la gentilezza di Roma s' ingegna di far vieppiù chia-

chiara, e palese, o chi sì bel pregio ingiustamente strappandole, le lodi e i lodatori di lei tenta mordere e lacerare. Io certamente, che per gli assidui studj fatti nella Istoria sono dell' antica Roma ammirator grandissimo, e per la deliziosa consuetudine di molti anni la moderna sopra ogni altra Città del Mondo amo e riverisco, loderò sempre, e sempre esalterò la Romana benignità, per la quale e a' dì nostri, e ne' secoli più remoti assai furono di quegli, i quali amarono meglio essere in questa Patria comune forestieri, che nella lor propria Cittadini. E tanto è lungi, che mi abbiano spaventato le altrui spiacevoli rampogne, che anzi avendomi Voi, PRINCIPE EMINENTISSIMO, espressamente comandato, che per mia difesa mettessi alla stampa il sopraddetto Ragionamento, più che volentieri ho a Voi obbedito, sì perchè a ciò fare astringevami il mio dovere, e sì anche perchè apparisse in ciò un testimonio durevole della mia venerazione e gratitudine verso la Divina Città di Roma. Esca dunque alla luce l'Orazion mia, la quale mostratasi, potrà sè stessa a prima vista, e il suo autore dalle ingiuste riprensioni difendere. Ben mi spiace, che per la debolezza del mio talento in forma comparir debba sparuta e meschina, ma l' augusto Nome Vostro, EMINENTISSIMO PRINCIPE, d' immortal luce ripieno, riflettendo in esso, farà sì, che rivestito d' altro non suo ornamento, trovi forse appresso tutti o approvazione, o compatimento.

Illud ſine ulla dubitatione maxime noſtrum fundavit Imperium, & Populi Romani Nomen auxit, quod princeps ille creator hujus Urbis Romulus fœdere Sabino docuit, etiam hoſtibus recipiendis AUGERI CIVITATEM OPORTERE. Cicero pro Balbo.

Romulus tantum ſapientia valuit, ut pleroſque Populos eodem die HOSTES, dein CIVES habuerit. Tacit. Annal. XI. c. 9.

DI-

DISCORSO.

LA cognizione dell' Antichità, della quale veggiamo a' nostri dì moltissimi dilettarsi, a due cose massimamente dee, secondo me, riguardare, alla perfezione delle Arti, che figlie sono del Disegno, e alla regola del viver nostro e nelle pubbliche, e nelle private azioni. Che gioverebbe senza questo andare con tanta fatica e spesa nelle viscere della terra a disseppellire i preziosi monumenti dell' età passate, o stancarsi nella lezione de' fatti degli antichi egregj uomini, se niun profitto dovesse trarsene, se non se di pascere l' ozio vano de' curiosi, o la inetta ammirazion de' pedanti? Infiniti son quei, che osservano, infiniti quei, che leggono le antiche grandezze, ed eleganze. Ma dove sono ora i Michelangeli, dove i Raffaelli, che utile ne traggano per lo ristoramento delle belle Arti? Dove gl' imitatori degli antichi celebratissimi Principi, Generali, Cittadini? Chi, leggendo la Romana Storia, non solleva gli occhj della mente ad ammirar con piacere la grandezza di quell' Impero, cresciuto sì prodigiosamente in tanta varietà di tempi, di guerre, di pericoli? Ma chi poi, per derivarne in sè savj ammaestramenti d' una giusta e vera politica, va diligentemente esaminando le maniere, onde i Romani, uomini di sottile avvedimento e quasi divino, al colmo aggiunsero di tanta glo-

gloria? E pare, che non tanto strazio abbia fatto delle belle cose vetuste l'urto de' tempi, e la ignoranza de' Barbari, quanto fa tuttora de' laudevoli costumi la debole educazione, in cui siamo caduti, e la prava istituzione di alcuni studj, atti più tosto a fornire di varie e sconnesse notizie gli ostentatori del sapere, che a formare la mente e l'animo d'uomini grandi, sulla robusta imitazione degli Antichi.

Degno pertanto di somme lodi ho io sempre riputato l'istituto di questa nostra fiorita Accademia, la quale preso avendo il nome dal valoroso Fondatore di Roma, a null'altro, fuori che alla cognizione dell' Antichità e dell' Istoria Romana ha i suoi studj rivolti; conciossiachè, come a diriger la mano e l'ingegno di valente Artefice, giovan pure i frammenti rimastici dell' età piu remote, così nella più grande, e malagevole arte del vivere valer debbono assai gli esempj dell' Antichità, tratti dalla non superficial cognizione delle Storie, e massimamente della Romana, ferace più di qualunque altra in ogni genere di virtù.

Or da questo istituto non volendo, nè potendo dipartirmi in alcun modo, andava io appunto divisando di rintracciare i fondamenti, e le radici dell'accennata grandezza Romana, onde le belle arti e i bei costumi ebber sempre lume e sostegno; e mentre dubbioso, e tra mille pensieri sospeso, quando alla maestrìa delle Armi, quando alla costanza nelle più atroci percosse dell'avversa fortuna, e quando ad una certa felicità, derivante dalla per-

perpetua serie di non pensate profittevoli vicende mi avvisava di dover ascrivere la veramente mirabile propagazione del Romano Impero, m'avvenni bene in acconcio mio in un detto di Cicerone, la cui lezione mi è cara oltre modo e familiare, che ogni dubbiezza togliendo via, m'indusse a credere, che i principj e gli avanzamenti di tanto Stato dovevansi fuor di controversia a quella prudentissima facilità, con cui non pure i Forestieri, ma i nemici ancora nel seno della sua Cittadinanza Roma raccolse. *Illud sine ulla dubitatione maxime nostrum fundavit Imperium, & Populi Romani nomen auxit quod princeps ille creator hujus Urbis Romulus fœdere Sabino docuit, etiam hostibus recipiendis augeri Civitatem oportere.* * Or questo sentimento di Cicerone anderò io esplicando, il meglio che per me si potrà, e giovami sperare, che, come l'argomento del presente mio favellare non lontano sembra dal vero, così non indegno si parrà dell'alto saper vostro, nobilissimi Ascoltatori, i quali della cognizione della Storia vi dilettate in guisa, che non vano piacere, ma soda utilità trar ne volete. E sarà forse oltre a ciò non discordante dal magnanimo genio del Dittatore, che mi ha imposto di ragionare in questo giorno, degno nipote di quel celebratissimo Principe, sotto i cui gloriosi Auspicj la nostra Accademia ebbe il suo nascimento, Principi-

* *Cic. pro Balbo.*

cipe cotanto benemerito dell'antica, e della moderna Roma, avendo di quella con ammirabile liberalità raccolti, e locati a perpetuo sontuoso spettacolo in Campidoglio i più preziosi avanzi e più rari, e adornata questa con fabbriche emulatrici dell'antica splendidissima magnificenza.

Poichè gli uomini dotati dalla eterna Sapienza del Divin Creatore di sociabile natura si ridussero a vivere insieme, lasciate avendo alle bestie feroci le impraticabili boscaglie, e Città fondarono e Terre, varie Repubbliche, diversi governamenti istituendo secondo la diversità o de' loro temperamenti, o de' luoghi stessi ov'erano nati; subito surse negli animi loro, figlia d'un selvaggio timore, una gelosa avversione contro quei, che al di fuori erano della lor comunanza. Quindi è, che contro quelli armarono leggi e consuetudini più o meno crudeli, secondochè più o meno serbavano della natia fierezza, quelli dell'incivil nome di Barbari, e anche di nemici caricando. Nè mancarono Nazioni d'uomini (se di sì fatto nome degni furono) che gli altri uomini, i quali non erano delle loro masnade, o mettevano miseramente a morte, o ad una servitù peggiore della morte medesima condannavano.

Ma questo non avvenne solamente in quelle contrade, che riputate sempre furono nido di rabbiose fiere, e non di Uomini, ma tra le più colte e meglio temperate d'appo quelle istesse, che l'ammaestramento della civiltà e del-

delle umane Arti si arrogarono, appo Sparta, appo Atene, dove orme si veggono abbominevoli di una selvaggia inumanità verso i forestieri. Licurgo gli escluse affatto e li cacciò da Sparta, mosso non già da indegno odio, che al resto dell' uman genere portasse (il che di sì savio Legislatore non vuolsi credere), ma da un giusto timore, non per la introduzione di strani costumi, e per lo mescolamento di nuovi abitatori guaste fossero e corrotte le leggi sue. Leggi però più d' una Famiglia proprie, che d' una Città, ed atte non a far grande, e ricca la sua Repubblica, ma a conservarla povera, e ristretta. Anzi perchè i Forestieri tratti non fossero colà da vaghezza e desiderio d'arricchirsi, non pur dalla cittadinanza, da' matrimonj, e da tutto ciò, che fa gli uomini con gli altri uomini conversare, gli allontanò, ma volle, che non oro, non argento, non altro pregiabile metallo, ch' esca fosse ed incitamento della coloro avarizia, ma il cuojo e il ferro avesse luogo di moneta. In Atene poi chiunque da straniera regione veniva, non potea fermarvi perpetuo domicilio senza permission dell' Areopago, e quei, che a gran fatica l' ottenevano METOIKOI, cioè Inquilini per disprezzo si appellavano. Ma questo genere di Uomini riputato era nella Città vile ed abbietto in tanto, che non solamente loro non permettevasi d' esercitare alcun pubblico ufizio, ma neppure a nome proprio mercatantare: Cosicchè astretti erano a ricovrarsi sotto il patrocinio e la clientela d' alcuno de'

Cit-

Cittadini, i quali, per quanto leggiamo in Eliano, li trattavano poi quasi schiavi, a servitù costrignendoli e ad ossequj al comun diritto degli Uomini troppo contrarj. E sebbene degli Ateniesi sappiamo, che alcune volte a i forestieri la Cittadinanza concederono, ciò però fecero con tal ritegno insieme ed arroganza, che a i Principi solamente, e a i Re, come a Perdicca Re de' Macedoni, a Coti Re de' Traci, a Dionisio Tiranno di Siracusa, ad Evagora Re di Cipro, a Leucone Re del Bosforo, e radissime volte ad Uomini in qualche arte prestantissimi, come ad Ippocrate, ad Apollodoro Ciziceno, ad Eraclide Clazomenio dono ne fecero, cui Demostene boriosamente chiamò di qualunque altro maggiore; quasichè il Cielo, il Sole, e le Stelle non si potessero fuori che in Atene vedere, o quivi, e non altrove tutte avesse la natura le sue ricchezze accolte, e racchiuse. Eppure se ascoltate avessero le salutifere voci d'alcuni de' loro stessi Filosofanti, e non le false opinioni della indiscreta moltitudine, avrebbono ragionevolmente stimato, il Mondo a chiunque ci nasce essere generalmente una Città sola; nè altra variazione infine potersi arrecare dall'essere accolti nascendo in una, o in altra Terra, se non quella, ch'è di nascere in questa, o in quella contrada delle medesime Città, che noi da sciocca prevenzion tratti, nostre proprie chiamiamo. Nè sarebbono per conseguenza trabboccati nello sconcio errore di tirarsi addosso con quella selvatica fierezza l'odio universale degli

al-

altri Uomini abitatori della medesima terra, vale a dire de i più, a cui forza fu cedere in fine e succumbere con onta, e danno estremo. Perchè quali in que' Popoli stessi rozzamente superbi furono poi di sì folle pregiudizio gli effetti? Angustia di confini, piccolezza d'impero, povertà disprezzevole, e, se fede prestisi a Tacito, rovesciamento in fine e servitù e morte di quelle Repubbliche. E la ragione si è, soggiugne un altro valente Scrittore politico, che tutte le azioni imitando la natura, come non è naturale, nè possibile giammai, che un sottil pedale grossi rami e smisurati sostenga, così una piccola Città occupi Stati e Regni, che sieno più forti di lei. E se egli avverrà, che per qualche subita fortuna se ne insignorisca, ben tosto ad ogni soffiar di nemico impetuoso vento rimaner vedrassi il tronco senza rami spogliato, e solo. Così nè più nè meno i Tebani, e gli Ateniesi in una giornata vinti presso Cheronea da' Macedoni, perdendo a un tratto e libertà e regno, piegarono al fine il collo sotto 'l grave e aspro giogo d'una infelice perpetua servitù. Ma i Romani, di cui dobbiam ragionare, sopraffatti da pericolosissime guerre, e quasi allo stremo condotti nelle fatali giornate di Canne, e del Trasimeno, spogliati di tutta Italia, ebbero dalla popolosa lor Patria vigore, non solamente di risorgere da tanti mali, ma di trionfare ancora di quei Nemici stessi, che gli aveano abbattuti. E ciò, perchè il primo, e da niuna altra Nazione praticato istituto di Roma fu il

non ristringersi mai alla debolezza delle domestiche forze, ma, come per gli esteriori ottimi cibi fa il corpo umano, così per qualunque straniero presidio crescere, e robustezza e beltà maggiore acquistare. Romolo, uomo sagace e prudente in tanto, che procacciar seppesi in un tempo medesimo e territorio e patria e regno e famiglia e nozze e parentadi, con ogni cura e diligente studio si sforzò sempre d'ingrossare la Città sua di popolo, d'ingrossare, vale a dire, quel ceppo, che radicato, e afforzato maravigliosamente, potè poi resistere a qualunque urto nemico, e in ogni parte del Mondo i felici e gloriosi rami del vastissimo Impero dilatare. Quindi fece il famoso rapimento delle Donne Sabine, il quale, comecchè certo scusar non si possa dalla violenza e dall'ingiuria, fu non per tanto, se l'effetto fortunato si miri, prudentissimo e bellissimo fatto, perchè mescolandosi saldamente fra loro quelle due Nazioni, e congiugnendosi insieme, si aprisse per l'avvenire il fonte della benevolenza, e della grandezza comune. Comune per tanto si fece tra due Re Romolo e Tazio l'Imperio, comune tra' Romani e Sabini la Città, comune il Nome. Ma, conciossiachè essendo la Città composta di due Popoli, paresse pur, ch'ella discordante in sè stessa fosse e divisa, e che malagevolmente soffogar si potesse, e a niente ridurre certo spirito di parzialità, per cui alcuni e tenuti erano e nominati Sabini, alcuni Romani, e questi sudditi di Tazio, e quegli altri di Romolo;

fu

fu lodatissimo il pensiero di Numa (quel gran Successore di Romolo, che forestiero anch' egli resse per quarantatrè anni quel Regno con riputazione e felicità maggiore, che qualunque altro mai), fu, dico, degnissimo di lode il consiglio di Numa, il quale fece la divisione di quella tanta moltitudine in tante Arti, e dividendola, e seminandola, dirò così, d' infinite altre contese minori, divertì e levò affatto via quella maggior e prima contesa, che guastar poteva il concento e l' armonia del tutto. Raddoppiata pertanto, e prima da i Ceriness, i quali, dopo ucciso il lor Re Acrone, e diroccate le lor terre, Romolo costrinse a divenire di nemici suoi stessi Cittadini, e poi dai Sabini nell' anzidetto modo accresciuta Roma, qual maraviglia, se in fin d' allora divenne a i vicini invidiosi popoli formidabile, e grande? I quali popoli ben accorgendosi, che naturalmente scemar essi doveano al crescer di Roma, quasi come di pianta, che a sè traendo l' umor vitale delle vicine, essa sola il terren tutto occupa ed ingombra, ben tosto congiurarono al danno, e all' esterminio di lei: ma ben tosto sentirono i perniciosi effetti della forza, che si trovava già in seno Roma, divenuta Città e di Popolo, e d' armi pienissima. Alla quale non fu poi malagevole impresa vincerli, e domarli, così però, che, non mai deviando dal suo primiero istituto, non ebbe i vinti per vinti, come, al dir di Tacito, fecero con estremo loro danno gli Spartani, ma solo la sedia dell' Imperio, e 'l titolo

del comando riserbandosi, concedette loro e pace e domicilio e cittadinanza, e tutta sè stessa liberalmente.

Ma questa liberalità del Popolo Romano, che nelle Istorie non ebbe esempio, pose il fondamento d' una Grandezza pur senza esempio, fondamento più durabile, perchè non sul timore, ma sulla benevolenza de' Popoli locato.

In fatti vinti, Cammillo, e debellati i Popoli Latini, *se volete*, a questa guisa parlò al Senato, *se ridurre volete il Lazio a devastamento, e solitudine, voi per grazia degl' Iddii, e pel valore delle vostre armi vittoriose ben lo potete; ma se volete, seguitando l' esempio de' Maggiori, accrescere lo Stato e la Potenza Romana, i vinti popoli nella cittadinanza ricevendo, medesimamente potete, e quinci arete materia di crescere, e farvi potenti con somma gloria; poichè quell' Imperio è gagliardissimo e durevole, a cui i sudditi volentieri, e lietamente ubbidiscono.* Dietro a questo consiglio sapientissimo di Cammillo, furono dal Senato e dal Popolo ammesse alla cittadinanza molte Città e Terre del Lazio. Di questi esempj è piena l' Istoria Romana, e però il narrarli tutti lunga cosa sarebbe e soverchia; Ma in nessuno tanto chiara apparisce, e per ogni circostanza ammirabile questa facilità di Roma in far suoi anche i sottomessi Popoli e stranieri, quanto nel fatto, ch' io son ora per narrarvi. Mossi i Privernati da quella emulazione, che arde sempre tra' Popoli confinanti, violate, e rotte le con-

convenzioni, e colto il tempo, in cui erano i Romani dall' atroce romore d' altra pericolosa guerra impediti, gli assaltarono impetuosamente, portando per ogni parte strage e desolamento; Ma i Romani, svanito il timore dell' altra guerra, più arditi e più feroci che mai, rivoltarono le formidabili armi contro i ribelli Privernati, li vinsero, li soggiogarono. Quindi dopo il Trionfo, che menò di loro il Consolo Plauzio, saziati gli animi per la giusta pena presa de' Capi della ribellione, fu nel Senato posto in deliberazione, che far degli altri si dovesse? Inclinava il Consolo ad usar con moderazione la vittoria, e saviamente riflettendo, essere i Privernati vicini a i Sanniti troppo ostinati nemici del Popolo Romano, desiderava anzi, che tra i Privernati, e i Romani si legasse indissolubil nodo di amistà, e di cittadinanza, onde alle incursioni del contumace Sannite resistere si potesse più validamente. Ma le opinioni de' Senatori erano fra sè divise: Perchè alcuni rivolgendo nell' animo la maestà oltraggiata del Popolo Romano, la bruttezza del tradimento, la superba natura di quel Popolo, i danni sofferti da i cittadini, stimavano doversi far di loro un' alta e memorabile vendetta. Nè vi mancò per avventura chi di meschin animo e digiuno, ascoltar non poteva una sì facile concessione di cittadinanza, quasi temendo, che a sè togliessesi quel diritto, che ad altri si comunicava, ed esser troppo lontano, dicevano, dall' equità, che trattati fossero come cittadini i traditori,

 e co-

e come figlj della medesima madre coloro, che le mani avevano lorde ancora e fumanti del sangue di lei. Essendo adunque per sè stessa la cosa difficile e dubbia, e consigliando ciascuno più o meno aspramente secondo la loro natura, uno degli Ambasciadori Privernati mandati per ottener perdono dal Senato, fece ancora diventar la cosa più incerta. Perocchè domandato da uno de' Senatori, che consigliavano più rigidamente, qual pena ei giudicava, che meritato avessero i Privernati: Egli ricordandosi per avventura più della condizione, in che nato era, che di quella, in che al presente ritrovavasi: quella medesima pena, rispose, che meritano coloro, i quali giudicano sè stessi degni di vivere in libertà. Per la cui feroce risposta, vedendo il Consolo gli animi della maggior parte essere inaspriti, per trarre dagli Ambasciadori con una benigna dimanda una più umile risposta, e più mansueta: Se noi, disse, vi perdonassimo questa pena, qual pace potremmo sperare d'aver con voi? Ed ei: Se voi ne concederete una buona pace, l'arete fedele, e perpetua: Se non buona, io vi dichiaro liberamente, che nè buona l'arete, nè durabile. Veramente allora si vide, che la virtù, ancorchè vinta e abbattuta, desta riverenza eziandio ne' nemici; perchè quella generosa risposta, procedente da sincero animo e non simulato, fece nella maggiore e più savia parte de' Senatori impression sì maravigliosa, che di dover beneficare più tosto, che straziare gente sì virtuosa stimarono,

e mal-

e malgrado l'invidia e la bassezza d'alcuni, decretarono, che i Privernati Cittadini Romani anche col privilegio del suffragio fossero, queste parole soggiungendo: *Eos demum, qui nihil præterquam de libertate cogitant, dignos esse, qui Romani fiant.*

E' incredibile a dirsi quanto questa magnanima risoluzione de' Romani con la sua bellezza, e col suo splendore i Popoli tutti d'Italia commovesse, che addolciti da tanta benignità non più prendevano sospetto, e guardia di Roma, ma di selvatici, che prima erano, divenutile domestici, e non più temendola, ma amandola, s'avvezzarono a desiderare la felicità, e l'esaltazione di lei, come la propria. Quindi data fu a diversi Popoli d'Italia, in diverse maniere, secondo i diversi loro meriti, la cittadinanza. Ma da questa medesima diversità destossi in alcuni Popoli una segreta invidia, che poi in aperto sdegno contro i Romani prorompendo, fu cagione della guerra sociale, la quale chi non è affatto nella Romana Storia pellegrino, ben sa, che non si potè, se non con la concessione della cittadinanza a tutta Italia, a felice fine condurre.

E quì calerebbe in acconcio lo spiegare primieramente, che valesse questo diritto di Cittadinanza, e appresso i varj gradi, e le varie condizioni dei Popoli, che di quel diritto più o meno goderono. Ma essendo stato tutto questo diffusamente, e accuratamente trattato, prima dal Sigonio, e poi dallo Spanemio, non capricciosi indovini, ma dotti, e

veri indagatori dell' antichità, nè potendo ignorarsi da uomini eruditissimi, quali Voi siete, sarebbe il ripeterlo soverchia impresa, e da non includersi certo in così breve ragionamento. Solo accennerò, che diritto era de' Cittadini Romani essere annoverati nelle Tribù, e nelle Centurie: dare i suffragj: essere assunti a tutti i Magistrati: ammessi nelle Legioni: partecipare de' beneficj militari, e del pubblico Erario: goder della patria potestà, delle ragioni della gentilità, de' Connubj, delle adozioni, della Toga, del Commercio. Questi e simili altri privilegj, ond' erano partecipi coloro, che nati erano, o divenivano Cittadini, furono con diversità però, e varietà di condizioni, siccome ho detto, conceduti a diversi Popoli d' Italia; onde i nomi sursero di Città federate, di Colonie, di Municipj.

Accennate queste cose, giova solo il riflettere, che da que' medesimi luoghi venivano bene spesso in Roma ad accrescerla di grandezza e di gloria uomini, i quali, per non aver avuto ancora nella casa loro alcun magistrato, erano nuovi chiamati e talvolta forestieri. Ma questi forestieri gareggiavano d' onore, e di potenza co' più antichi Patrizj; e il valoroso Popolo Romano, diritto estimatore, e premiatore della virtù, ovunque ella fossesi, questa non isdegnava d' anteporre alla infingarda dappocaggine di chi ripeteva tutte le ragioni del suo merito dal luogo, ove a caso era nato. Potè quindi Cicerone, siccome nato in Arpino, dileggiare con magnanima franchez-

chezza l' Appieità (come Ei con nuovo vocabolo la chiama), e la Lentuleità di taluni, che fieri troppo ed orgogliosi dell' antica Nobiltà loro, procuravano di offuscare la sua virtù con opporgli questi esagerati fantasmi di Uomo nuovo, e forestiero. Ond' è, che rivolto un giorno al giovine Torquato, che scioccamente baldanzoso della sua antichissima schiatta, lo aveva in una certa dicerìa forestiero per disprezzo chiamato: Maraviglia, disse, mi prendo, che per essere la tua famiglia pochi o molti anni (che nulla poi rileva) prima di qualche altra venuta ad abitare nel recinto di queste mura, tanto sii pieno di questo non tuo merito, e tanto orgoglio ne meni, che ardire abbi di chiamar me forestiero: Me, che vengo da un Municipio, onde già due volte questa Patria comune riconobbe la sua salvezza: Me, le cui gloriose azioni sono oggimai eternamente radicate negli Annali, e nella memoria di quest' Imperio. Non possono tutti essere Patrizj; e taluno forse non se ne cura; ma non per questa ragion sola può alcuno nella Città di Roma avanzar l' altro. Industria, valore, ingegno, amor del Nome Romano rendono quì Cittadino il forestiero: E Roma dee principalmente la grandezza del suo Stato a questo antico Istituto prudentissimo di adottar come sua, e largamente guiderdonare la virtù dei forestieri; se forestieri pur si possono chiamare uomini, che obbliando la dolcezza del natio paese, quà vengono ad impiegare sè stessi in servigio di questa Patria comu-

mu-

mune. Io però godo, e mi glorio, o Torquato, che tu non possi avventarmi altra contumelia, che questa, la quale ridonda poi sopra la massima parte de' Cittadini; de' quali, benchè nati sieno fuori di queste mura, guardati bene tu, che sei Candidato, di non chiamar alcun forestiero, acciocchè nel concorso alla prima dignità della Repubblica soprafatto poi non resti da' suffragj de' Forestieri: *Cave ne Peregrinorum suffragiis obruare*. E certo que' tuoi Competitori, che scelti da tutta Italia entrano teco in gara de' Magistrati, non comporteranno giammai, con tutta cotesta tua jattanza di parole, essere da te, se vinti non sono nella virtù, superati nell' onore. Bisogna pure, che in una Città, dove si poteano con tanta libertà dire somiglianti parole, bene e meglio accolti fossero i Forestieri, e che invitati essi dall'amor di questa libertà, e molto più dalla sicurezza, e dalla facilità d'essere ricevuti, ed onorati come gli altri Cittadini, d'ogni parte a Roma concorressero a renderla piena di virtù, d'arti, di ricchezze, e senza contrasto Donna e Reina del Mondo.

La qual cosa perchè più vivamente venghiate a conoscere, fingete negli animi vostri, o Ascoltatori, che Roma a guisa di Sparta e d'Atene, rozza, e barbara co' forestieri, contentata si fosse del numero di que' pochissimi Cittadini, che, raccolti pure da varie straniere parti, la formarono da principio. Non sarebbe ella (se diasi luogo al vero) senza

za il presidio di que' numerosi Cittadini, che andò a trovare fino tra i Nemici, tra i Ribelli, tra i Servi, animati tutti da un medesimo spirito, da un medesimo affetto verso una Patria e Repubblica comune, non sarebbe, dico, ella o languita senza gloria nel breve giro di non salubri campagne, o diventata facil preda degli astiosi vicini? Come avrebbe potuto disseccare vastissime paludi, coltivare i luoghi più montuosi, e sterili, empiere di popolosi borghi le vicine regioni, di fiorite Colonie le più lontane, ributtare le pestifere inondazioni de' Barbari, dissipare le pericolose congiure de' suoi stessi Italiani, se i Forestieri non l'avessero sì e per tal guisa ingrossata, che avesse potuto trovare in sè medesima una perpetua sorgente d' Uomini, e d' Armi? I Claudj, i Giulj, i Coruncanj, i Porcj, e innumerabili altre utili Famiglie in pace e in guerra, non vennero di fuori? Ebbe forse occasione di pentirsi d'aver chiamati i Balbi dalla Spagna, che trionfarono de' Garamanti, o d'aver tratti dalla schiavitù a i supremi gradi della Repubblica i Ventidj, che furono i primi a domare i Parti, così formidabili a i Romani, e nella stessa fuga invincibili?

Meritamente dunque, o Roma, ottenesti il Principato di tutte le Città del conosciuto Mondo, mentre di tutti eri così facilmente Patria comune, e non solamente divenisti di ricchezze abbondantissima, e di Abitatori, ma fiorente sopra ogni altra di Uomini prestantissimi nell' amministrazione delle cose pubbliche,

nella

nella maestrìa delle Armi, e in qualunque Arte industriosa e preclara. Quindi magnificentissimi Edifizj, quindi ornatissimi marmi forestieri, quindi pietre singolari condotte da tutte le parti del Mondo, quindi Statue, Pitture, Colonne, Piramidi. Era in te l'abitar delizioso, sicuro il commerciare, libero il vivere. Gustata l'equità delle tue leggi, e la facilità di far compagni i Sudditi medesimi, rifiutava allegramente il Gallo, l'Ibero, il Germano, il Pannone, e qualunque altro nato sotto dura servitù il nome vano di una oppressa Patria, per venir a collocarsi nel tuo seno, ov'era alla tua Cittadinanza, a i tuoi Magistrati, a i tuoi onori, al Principato medesimo di te stessa aperta la via a chiunque virtuosamente in tuo vantaggio operando, lo meritasse.

Prima però di por fine al presente Ragionamento tacer non voglio, nè dissimulare l'opinione di dottissimi Uomini, i quali a questa soverchia facilità di ammettere alla Cittadinanza le Nazioni tutte indistintamente, come per l'ultima legge di Antonino Caracalla è palese, attribuiscono in gran parte il dicadimento del Romano Impero. Ma lasciando stare, che forse non malagevole impresa sarebbe dimostrar chiaramente, tutt'altro esserne stata la verace e primaria cagione; chi non sa, che qualunque cosa, comecchè utile e buona, quando all'eccesso passi, e all'abuso, rea, e perniciosa diviene? Onde non è maraviglia, che la comunicazione della Cittadinanza Romana, divenuta essendo (il che nella

la Storia vedesi manifestamente) non più, siccome al principio, incitamento e guiderdone della virtù, e dell' industria, ma, prima istromento d' ambizione a i più potenti, che per la confusione de' suffragj da ogni parte raccolti, oppressero in fine la libertà della Patria, e poi d' avarizia a gl' Imperatori, che per questo mezzo le vicesime delle eredità, ed altri tributi da ogni Cittadino esigevano acerbamente; non è, dissi, gran maraviglia, che potesse quel benefizio cangiarsi in danno, ed alla estrema rovina dell' Impero influire. Ma comunque ciò siasi egli non solamente non distrugge, ma conferma anzi, ed afforza il mio Ragionamento. Conciossiachè niuno sia degli accennati eruditissimi Scrittori, il quale non confessi Roma esser caduta sotto la troppo vasta e smisurata mole di sua grandezza: niuno però certamente fia, che neghi, per l' universalità dell' Istoria apparir chiaramente, che quella medesima prodigiosa grandezza, e inaudita i principj dee, e gli avanzamenti suoi all' istituto, con cui Roma nel suo seno accolse facilmente, e arollò tra' suoi Cittadini qual ch' egli fossesi forestiero. Perchè finalmente que' gran fiumi e reali, che la ricchezza sono delle Provincie, e de' Regni non isdegnano ricevere d' ogni parte qualunque rivo; lasciando, che i torrenti più orgogliosi, che grandi, contenti della povertà delle acque natie, o presto inaridiscano, o a finir vadano in limacciose paludi.

PHI-

PHILIPPI BONAMICII

CARMINA ET INSCRIPTIONES.

DE MAXIMO TEMPLO BONONIENSI

A BENEDICTO XIV. P. M.

INSTAURATO

ET

A VINCENTIO CARD. MALVITIO

BONONIENSI ARCHIEPISCOPO

EJUSDEM PONTIFICIS AUSPICIIS CONSECRATO

CARMEN.

TEmplum augustum ingens, Divo quod splendida Petro
Musarum Urbs nutrix solido de marmore jussit
Surgere ad Æmilii damnosa heu! flumina Rheni,
Squallebat miserè; & turpi sordescere hiatu
Cernere erat late muros, altariaque ipsa
Informi cessare situ. Non Tertius illud *

Phil. Bon. P. II. M Lu-

* Ex Ciaconii Tom. I. ad an. 1181. = Lucius III. Lucensis, Hetruscus, Hubaldus Allucingolus, Bonagiuntæ Morli filius venit Bononiam, ibi Joannis Episcopi rogatu, Basilicam S. Petri, quæ restaurata post incendium fuerat, consecravit, atque aram maximam aureo stragulo, multisque Sanctis Reliquiis insignitam reliquit =.

Lucius agnoſcet, patria quem miſit ab ora
Ad ſummum mea Luca decus, triplicemque
Tiaram.
Hic etiam (æthereas educi rurſus in auras
Si liceat) fulgentem auro quam viderat olim
Aram, Romana quum majeſtate verendus
Conventu in magno populi, comitante
Senatu,
Solemnes Aræ de more ſacravit honores,
In Templo quæret medio. Tantum valet ætas
Irrequieta ſuis involvere cuncta tenebris.
Nec, multos habuit quos Gens clariſſima, lecti
Paſtores Gregis, inſignes pietate, labantem
Inſtaurare Ædem potuere prioribus annis.
Tu Patriæ decus egregium, Rex magne
Quiritum,
Imperioque parem doctrinam, & nomen
adepte,
Tu, BENEDICTE, jubes: ſubito quum
diffugit omnis
Ætatis ſquallor: Templi nova forma ſtu-
pentes
Afficiens oculos artis miracula pandit
Divinæ, & magnis cumulata Altaria donis.
Te Dominum, & Civem ſentit, Patremque,
Magiſtrumque
Inclyta muneribusque Tuis jam Felſina
major.
Ipſa tuo certe præſenti numine vellet
Compleri: Nec Tu Patriæ percuſſus amore
Ire neges, patrioque in Templo ſacra referre.
Sed quoniam Imperii ſedes, Te maxima Roma
Detinet, ecce alium præclaro nomine Civem
Mi-

Misisti. Ille tua instructus virtute regendum
Felsineum accepit populum. Ille tuas res gestas
Dum miratur, habet, quo se super æthera tollat
Exemplo elatum grandi, & præstantibus ausis.
Ille tuas partes, nitidam prostratus ad aram
Thura adolens, peraget, sacrosque novabit honores,
Ingenti populi studio, & clamore secundo:
Dum nomen, BENEDICTE, tuum spatiosa sonabunt
Atria, continuasque preces, & debita vota:
Ut validum morbos supra, sortemque senectæ
Per Te felices populi Te semper adorent.



DE CARD. HENRICO ENRIQUEZIO

CARMEN.

QUÆ ſæpè in fatuos Fortunæ cœca poteſtas
Effudit bona, regali ſplendeſcere ab oſtro
Non tibi, magne, dedere, Enriquezi. Genere ortus
Ipſe quidem ſummo, atque inſtructus divite Cenſu,
Non patriis opibus, non claro es nomine abuſus
Ad luxum faſtumque, & fœdæ oblivia vitæ;
Sed gnavus, docilis, ſtimuliſque accenſus honeſtæ
Laudis, cum primo ſe tollit flore juventa
Ingenium ſtudiis præſtantibus excolis. Artem
Præcipuè ut teneas Reges populoſque potentem
Flectere qua libeat, veterum monumenta Virorum
Plurima quæ Latium, quæ plurima Græcia liquit,
Aſſiduè tractas. Momenta hinc addita rerum
Temporaque & cauſſas, humani & pectoris altos
Deprendis ſenſus; neque dedignatus adire
Irriguos Pindi Saltus, Phœbique beatas
Pieridumque Domos, ad publica commoda transfers

O-

Omnem Animi cultum, mentiſque, & nobilis otj
Munera. Non tamen es mavortia ſigna ſequutus
Præliaque, audacique undantia milite caſtra.
Heroes alios Gens Enriquezia bello
Inſignes tulerit, partiſque ex hoſte triumphis;
Gloria Te major manet. Audentem licet omnis
Poſteritas celebret, formidatumque Tonanti
Æneidem; quis non tamen illi Neſtoris auream
Anteferat fandi vim, conſilioque potentem?
Hæ tibi erunt, Henrice, artes. Tua mitia juſſa
Accipiunt Populi faciles Umbrique Camertes,
Et quos Terra ferax Piceni læta per arva
Ubere alit fructu. Te poſt diſcrimina ſæva
Auctorem pacis libertatiſque parentem
Obſtupuere, altâ quæ protegit arce Marinus
Saxa quidem, tætris ſed ſaxa intacta Tirannis.
En Tellus Hiſpana, tuæ quæ gentis origo eſt,
Pro re Romana, pro Religione loquentem
Admirata ſuo prognatum ſanguine jactat
Magnum Oratorem, quem magni auguſta ferentem
Dicta Patris, qui juſti, & ſervantiſſimus æqui
Præmia virtuti eximiæ jam debita clamans,
Jam Tuſcum ad Tyberim, & Romana palatia tandem
Te vocat, & Sacri partem jubet eſſe Senatus

Fulgentem latè regalibus ornamentis.
Hîc animum, hîc doctrinam, hîc Religionis apertæ
Expromes ſtudium, ſtatues hîc hoſpita Muſis
Tecta; neque indignis patiere ægreſcere curis
Conſpicuos homines. Bonamicum, Zampiniumque
Abs te præcipuè amplecti, longeque tueri,
Docte Henrice, decet, clares quando artibus iſdem,
Qum tempus veniet, cum te Duce currere ſæcla
Incipient meliora, viris doctiſque probiſque,
Quodque hominum vitio & Fortunæ more ſiniſtro
Jampridem ingenii cecidit, decus omne reſurget.



DE

DE NUPTIIS

CAROLI VALENTII, ET BEATRICIS

BENTIVOLÆ ARAGONIÆ

AD SYLVIUM VALENTIUM

CARDINALEM AMPLISSIMUM

CARMEN.

NON me præclari Juvenis, pulcræque Puellæ,
Castus Hymen thalamo quos jam sociavit in uno,
Eximias animi dotes, sanctoque pudore
Formæ auctum decus, & præstantis nomina gentis
Mirantem, Veneris, blandique morantur amoris
Illecebræ, rixæque, æterni alimenta furoris.
Non opus hic sponsæ crines, oculosque loquaces
Splendenti conferre auro, stellisque coruscis,
Non sponsi invictum robur, lumenque juventæ
Purpureum laudare, ac vincula fingere mentis,
Flammasque indomiti cordis mollire potentes
Sævitiem, & vanum duræ virtutis honorem.

Hæc jactet nimium ſuccreſcens undique vatum
Turba, audax etiam ſe dicere numine plenam,
Ut poſſit cœcos ævi venientis hiatus
Pandere, & obſcuras fati tentare latebras,
Grandia nec dubitet prædicere facta Nepotum.
Pars animo inſignis Martis ſæva arma, laboreſque
Horrentis belli per cœca pericla ſequetur.
Jamque Thracas domitos, & vinctos colla Tyrannos
Oſtentare juvat: Pars ingenio aut velit acri
Latè ſpectari, paciſque incumbere in artes,
Virgilii referet famam, famamque Areoſti.
Hæc alii celebrent cunctis jam nota Hymenæis,
Ominaque accumulent fortunata auſpicibus Dis.
Hoc unum noſtra liceat Vos voce moneri,
Illuſtres Sponſi, Auſoniæ ſpes optima terræ;
Progenies ſi lecta placet, ſi clara potenſque,
Nequitiæ ignavæ quam nulla redarguat ætas;
Sint dulces Nati, ſint pignora cara Nepotes
Educti ingenue. Non illos improba Siren
Deſidia abducat tumidoque ſuperbia faſtu.
Non fruſtra veterum effigies, decora alta Parentum,
Mirentur, ſed enim ſuccenſi laudis amore
Mores, & ſtudia effingant, exempla ſecuti
Magnanimum Heroum, Tellus quos Itala fudit,
Tardus ubi variis reſtagnans flexibus errat
Min-

Mincius, & pingues lato ſecat æquore campos
Fluviorum Rex Eridanus. Te, maxime Sylvi,
Imprimis ſpectent, cui virtus pectore præſens
Excubat, immenſoque dedit ſupereſſe labori,
Quo Tuſcum Tyberim, & Romana Palatia
ſervas.

AD

AD ANTONIUM MARIAM HERBAM ODESCHALCHIUM

CARDINALEM AMPLISSIMUM

A CLEMENTE XIII. P. M.

VICARIUM RENUNCIATUM

CARMEN.

ME; quem mufarum jamdudum fervida liquit
Cura, videntque mei tacitum torpere Quirini,
Affueti noftri non fpernere munera cantus;
Emeritis jam fegnem annis, ftudiifque feveris
Tempora debentem, non lætis verfibus apta;
En iterum ad juga Parnaffi, ODESCALCHE, Tuarum
Raptat amor laudum. Splendefcit carmine virtus,
Prodit & exemplum venientibus utile fæclis.
Quis Te quum videat Romano effulgere in Oftro
Confpicuum meritis, atque unum ad facra tuenda
Effe Urbis delectum in magnis plaufibus Urbis,
Quis, quæfo, fileat? præfertim ubi honoribus auctus

Sis

Sis licèt eximiis, tamen illis majòr haberis,
Doctrina, & pietate pari: neque deprimit in Te
Doctrinam tumor, & pietatem rusticus horror.
Non animos Tibi Nobilium decora alta Parentum
Fecere, inter quos veluti sol emicat ille,
Quem Regemque, Patremque olim Roma inclyta vidit,
Roma Tuis, quæ nunc gaudens virtutibus, audet
Antiquum spondere sibi, Te Præside, honorem.
Reges illa feros, semperque exosa superbum
Imperium, mansueta Tuis parebit habenis.
Nam quamquam excellas roseo aspiciendus amictu,
Non fastum immodicum jactas, non barbara jussa;
Sed vultu excipiens populum, alloquioque benigno,
Justitiam inspiras expertem cædis, & iræ.
Hinc tantam Imperii partem (licèt usque recuses)
Maximus imposuit CLEMENS, succurrere rebus
Dum lapsis cupit, & mores revocare vetustos.
Hinc & virtutum succensus amore Tuarum
Ipse ego, dum enitor Tua grandia dicere facta,
Atque animum imprimis lenem, nullisque secundis
Elatum, resides Musas, ingrataque damno
Otia. Sed veluti cursu prævertere ventos
Sue-

Suetus Equus, ſenio tandem confectus inerti
Fruſtra ſe attollit, fruſtra jam dona coronæ
Sperat Olimpiacæ; vires, animuſque priores
Sic mihi conanti nequicquam multa fatiſcunt.
Sed dignus venia, qui magnis excidit auſis:
Eſtque Tuum, ODESCALCHE, meas non temnere Muſas,
Qui facili ingenio præſtas, & moribus aureis.

AD

AD VICTORIAM CORSINIAM ODESCHALCHIAM

FŒMINAM SPECTATISSIMAM

HENDECASYLLABI.

O VICTORIA, quæ decus Quiritum
Etruſcique ſoli una nuncuparis,
Et qua Sequana non minus ſuperbit,
Quam Tibris Pater, & venuſtus Arnus;
Tam mellitus enim eleganſque ſermo
Emanat Tibi Gallicus labellis,
Ut Menagius, acer & Bohurſus,
Et probet Voſelaſius loquentem;
Quos mittit Tibi candidus Sodalis
Libros, qui expoliendæ, & explicandæ
Gallorum modò prodiere linguæ,
Doctum ſanè opus, & laborioſum
Atque aptum ſtudiis Tuis futurum,
Ut mente excipias, precor, benignâ.
Illic enucleata quæque cernes
Obſcurè, ambiguè, novèque dicta:
Subtilique ibi lance penſitantur,
Quæ Aulam verba, nemus, Forum, Taber-
nam,
Soccumve, aut tragicum decent cothurnum.
Quare habe Tibi, lectiteſque multum

Li-

Libros, mnemosynon Tui Sodalis:
Qui Syrtes peregrè inter æstuosas,
Svecos inter, & ultimos Laponas,
Te corde, atque animo usque fixam habebit,
Te VICTORIA, quæ decus Quiritum,
Etruscique Soli una nuncuparis.

AD EANDEM

MUNUSCULUM

CLEMENTIS XII. P. M.

IMAGINEM

MITTENS.

ÆTatem Proavi magni Tibi, Diva, precatur
Consimilem, dono qui dedit effigiem.

AD

AD EANDEM

DUM QUOS REJECERAT LIBELLOS

AMICO INTERPRETE

ITERUM MITTERET.

GRande ſupercilium Dominæ, & fera juſſa ſequentes
Hos libros ut Tu comius excipias,

Præſul amice, rogo: nullo ſunt crimine turpes,
Ni forte eſt inſtar criminis obſequium.

Obſequii nam pignus erant (quid cætera ſperem,
Hei mihi ſi fraudi eſt obſequioſa fides!)

Ergo Tuum eſt Dominæ fugitivos reddere libros;
Sive Tuo miſeros excipere hoſpitio.

AD

AD EANDEM

CUI

MARIA CHRISTINA

AUSTRIACA

ALBERTI

SAXONIS TESCHENII DUCIS

UXOR

DEDERAT SUAM

ATQUE VIRI IMAGINEM

EPIGRAMMA.

HAnc Christina sui similem dedit inclita dono,
Et dedit Alberti Conjugis effigiem.

Donum augustum ingens, quo non optatius ullum,
Namque aspectu oculos pascit, amore animum.

AD

AD EANDEM

QUUM LIBRUM

DE CLARIS PONTIFICIARUM

EPISTOLARUM SCRIPTORIBUS

AC VERSICULOS QUOS AMISERAT

ITERUM MITTERET.

GRande meum decus, & columen Victoria, dum non
Ipſe Tuo infelix exciderim ex animo,

Carminum, & amiſſi levis eſt jactura libelli;
Dulcis enim eſt nobis hanc reparare labor.

Ergo eadem cape dona libens, quæ ritè novum ſint
Obſequii & veteris pignus amicitiæ.

Auctorem & faciant ut libri, & carminis hujus
Ætas nulla Tuo deleat ex animo.

BALTHASSARI ODESCHALCHIO
LIVII II. BRACHIANI
DUCIS FILIO

JUVENI GENERE, INGENIO, DOCTRINA, VIRTUTE PRÆSTANTISSIMO

EPISTOLA

Qua Commentarium de Innocentii XI. P. M. Vita ad illum misit.

INclyte Balthaſſar, decus ingens floſque latinæ
Pubis, amabilium jucundaque cura parentum,
Et prædulcis amor, facili precor excipe vultu
Atque lubenti animo magni illius ODE-
SCHALCHI
(Cujus adoptivo nova gloria nomine venit,
Atque Urbis æternus honos; cui Romula ſedes
Quam primum meritos ſuperum decernet
honores)
Maxima quæ parvo nunc condimus Acta li-
bello.
Nam bene cum norim, quantis me tempore
in omni
Juverit officiis Gens Odeſchalchia, conor
Edere nempe aliquid, non quo me denique
poſſim

Tol-

Tollere humo, victorque virûm volitare per ora,
Sed quo me vestri immemorem nulla arguat ætas.
Quamquam etiam hoc sperem Tibi multum profore munus.
Tu bona multa quidem, quæ vel divisa beatos
Efficiunt, collecta tenes. Te maxima tollit
Nobilitas generis; Tibi dives census, opesque,
Et tituli ingentes; Tibi mens divinior, amplumque
Ingenium, & cultæ fœlix facundia linguæ,
Omnigenæque artes; Tu condis amabile carmen,
Dumque canis solos inter cantare peritos
Arcadas, insuetaque nemus dulcedine mulces,
Haud semel attonito Tibris stetit Amne; Tibique
Tarpejæ plausere arces rumore secundo,
Dum dulci eloquio ingenuis decus artibus addis,
Atque doces, quibus artificum mens prædita rerum
Notitiis, cælo egregias attollere moles,
Atque rudi vivos de marmore ducere vultus
Audeat, atque animam tabulis infundere pictis.
Sed neque nobilitas, neque opes, titulique, neque amplum
Ingenium, omnigenæque artes doctrinaque præstans,
Ac neque naturæ, neque sortis dona secundæ
Omnia sunt tanti, quanti est ea plurima virtus,

Qua potes hoc lecto fœlix ditescere libro.
Hinc Tibi major honos, Teque hæc exempla sequutum
Ingentis Proavi decus immortale manebit.
Ac ne vana putes Tibi me promittere; Patrem
Inspice. Quam bene vestri Auctorem nominis ille
Exprimit, ac ferme innumeris virtutibus æquat!
Nemo adeo ferus est, nemo est tam ferreus, illi
Qui non egregiè cupiat, non omnia & optet
Prospera, non illumve colat, non diligat ultrò.
Hoc nec habere viro quidquam præstantius in se,
Nec sanctum magis, & carum nunc Roma videtur.
Ergo age, & hæc nostræ cape dona extrema senectæ,
Atque evolve libens: hoc auspice jamque libello,
Quo Te cælestis ducet sapientia, perge.

IN

IN BALTHASSARIS ODESCHALCHII

ET

CATHARINÆ JUSTINIANÆ

NUPTIIS.

QUod me posse neget nimium properata senectus
Carminibus Vestro plaudere conjugio:

Odeschalchiadæ Sponsi, hoc quod possumus omen
Optimum & ingenio reddimus, & animo.

Sitis felices, claram & protendite stirpem,
Concordesque diu vivite perque diu.

Audistis? lævum intonuit, læta omnia, fausta
Omnia, & eventu non caritura bono.

AD OCTAVIAM ODESCHALCHIAM JOSEPHO ROSPILIOSIO NUPTUI TRADITAM

CARMEN CUM MUNUSCULO.

QUod Tibi ſit felix ; I læto, Octavia, greſſu
Deſponſum ad Juvenem, qui Te ſuſpirat & ambit
Jamdudum, & tardi invitus faſtidia perfert
Temporis. I Tecum ſua gaudia defer amanti
Ut cupido, ſic & merito, cui plurima virtus,
Maturumque viget juvenili in pectore mentis
Conſilium: Comites adſint, atque aurea Tecta
Unà adeant Amor, & blando concordia vultu,
Almaque pax, nitidoque modeſtia juncta decori,
Et ſecura fides, fœlicis pignora vitæ.
Regali interea procedent munera pompà
Ædibus è patriis: longè pretioſa ſupellex,
Auro intertextæ veſtes, Gangeticus ardor
Gemmarum, ornatus varii artificumque labores.
Hæc inter, ſint parva licèt, tamen & mea dona,
Ex una pretium queis Relligione, ſed ingens,
Propterea Tibi grata, nec illaudata feruntur:
Orbis ibi diam manſueti cereus Agni
Exhi-

Exhibet effigiem: propriâ hanc Tuus ille
ſubegit,
Impreſſitque manu, dixitque precantia verba,
Æternum anteacti Sæcli decus, ODE-
SCALCHUS,
Pontificum è Solio Cæli ſuper aſtra receptus.
Inde exempla Tibi conſtabunt, certaque vitæ
Præſidia; atque Tuam quanto plus divite cultu
Imbuerit pietas virtuſque domeſtica mentem,
Tanto, quod vitæ ſit cunque, beatius ævum
Te manet. Una facit virtus quippe eſſe beatos.
Cætera formam, & opes, & nobilitatis ho-
nores,
Queis inhiat vulgus, queis plaudit, inanibus
umbris
Æquipares, animos velut irrita ſomnia ludunt
Protinus & rerum vacuos inopeſque relin-
quunt.

TRADUZIONE

Che non è opera dello stesso Autore, ma d'un suo Amico.

CON felici preludj al giovin Sposo,
Che da gran tempo Te sospira, e ambisce
Del lento giorno, anzi dell'ore pigre
Mal soffrendo la noja, a lieto passo
Deh vanne, Ottavia; vanne pure, e Teco
Il soave gioir reca a un Amante
Desioso così, come ben degno;
Che un'egregia virtù, maturo senno
Nel petto giovenil nutre, ed accresce.
Per man Ti guidi Amore, e la concordia,
E l'alma pace con ridente volto,
E la modestia unita al bel decoro,
E la sicura fè, sicuri pegni
Del vivere beato, agli aurei Tetti
Ti sien scorta fedel, Ti sien compagne.
Dal soggiorno paterno in Regal pompa
Procederanno intanto i larghi doni
Di ricco pregio prezioso arredo;
Vesti d'oro tessute, e là del Gange
Gemme lucenti, e peregrin lavoro
Di vario ornato, e variante mano.
Fra questi a Te sarà recato il mio
Piccolo sì, ma perchè augusto il rende
Sola Religion, però Ti sia
Grato, ed accetto, e non spregievol dono.
Ivi nel Cereo Cerchio la Divina

Ima-

Imago dell' Agnello mansueto
Appar, che dopo il sacro impasto impresse
Di propria mano, e sante preci aggiunse
Il Tuo grand' ODESCALCHI onore eterno
Del secolo trascorso, asceso, e accolto
Dal Pontificio nel Celeste Soglio.
Quindi del viver Tuo i luminosi
Esempli avrai, e il più fermo sostegno.
E la pietade, e la virtù domestica
Quanto più renderà ricca, & adorna
Del Divin culto la Tua mente, e il cuore,
Tanto più della vita il più felice
Corso ti aspetta; poichè sol virtude
Rende beati: Venustà, ricchezze,
Fregj di Nobiltà, tutt' altro, a cui
Plaude, ed anela l' ignorante volgo,
Son ombre vuote, e quasi vani sogni
Lascian l' alma delusa, e impoverita.

JOSEPHO ODESCHALCHIO

LECTISSIMO ADOLESCENTI

HENDECASYLLABI CUM MUNUSCULO.

QUod Tu Mnemoſinon vides, ſacravit
Sua ritè manu, boniſque verbis
Pontifex columen decuſque Romæ,
Et Veſtræ columen decuſque Gentis
INNOCENTIUS, addiditque Ceræ
Vim miram. Hoc igitur Tibi auſpicatum
Ne munus cave reſpuas, JOSIPPE;
Sed illa excipias benignitate,
Qua nuper Soror optima id recepit,
Quin jucundius hoc Tibi futurum
Reor, quam fuit optimæ Sorori.
Quod inſpectio muneris vel ipſa
Eſt bonam potis incitare mentem,
Ut vitæ id genus eligas, viamque,
Quam Tuæ columen decuſque Gentis
INNOCENTIUS inſtitit, ſequaris.
Quod ſi contigerit viamque eandem
Ad ſummos Tibi munias honores;
O donum egregium, ac bene auſpicatum!
Nam cum moribus aureis, JOSIPPE,
Jam præſtes adeo ingenique laude,
Haud incerta quidem mihi Tuiſque
Spes oſtenditur alterum futurum
Te Tuæ columen decuſque Gentis.

AD

AD LIVIUM ODESCHALCHIUM

BRACHIANI DUCEM.

EXcipe jam Princeps tenuiſſima munera, ſacrat
Quæ Tibi ter flexo noſtra Camœna genu.

Munera parva damus, Phœbi ſi conſulis Aras,
Si Templum famæ conſulis, alta damus;

Te ſimul & ſobolem læti celebramus amatam;
Materies Orphœi digna canenda lyrà.

Seu Te jus moveat, pietas ſive inſita, debes
Munera nunc placidâ ſumere noſtra manu;

Nomen Odeſcalcum, dotes pietatis, & æqui,
Queis ſemper fulſit, clarius ipſe refers.



FRAN-

FRANCISCO JOACHIMO BERNISIO
CARDINALI AMPLISSIMO
ET CHRISTIANISSIMI REGIS AD PONT. MAX. LEGATO
HENDECASYLLABI

Cum Libro de Claris Pontificiarum Epistolarum Scriptoribus.

O Qui consilioque publicæque
Tuendæ eximiâ salutis arte
Summis omnibus anteis Ministris;
Olim quem Venetus Patrum Senatus,
Quem Lutetia, quemque Gallia omnis,
Quem nunc denique suspicit, colitque
Terrarum Dea gentiumque Roma:
Hunc dono Tibi mittimus Libellum,
Ut sit Mnemosinon Tui Clientis,
Qui quacumque licet, memor videri,
Et gratus cupit optimo Patrono.
Quod si hanc excipias probesque Opellam,
Sat hercle innumerabiles per annos
Consultum reor huic meo labori.
Nam qui consilioque publicæque
Tuendæ eximiâ salutis arte
Summis omnibus anteis Ministris,
Idem deliciæ novem Sororum,
Et Pindi decus, omniumque es idem

Ni-

Nimirum Pater elegantiarum,
Ac novem hoc tribuunt Tibi Sorores,
Ut quod judicio Tuo probetur
„ Plus uno maneat perenne ſæclo.

AD EUNDEM

HENDECASYLLABI

Cum Libro de Innocentii XI. P. M. Vitâ.

BERNI, ne verearis Innocenti
Quam vitam Tibi mittimus libello
Conſcriptam exiguo, in manus benignè
Tuas accipere, ac pereruditis,
Sed blandis tamen, & minus ſeveris
Perluſtrare oculis, Tuique Amici
Boni, ſed timidi probare munus.
Nil hîc invenies, quod inter acta
Magni Pontificis, quod inter omnes
Ipſe, quas meruit, refertque laudes,
Sit dictum mihi, quo minor videri
Gallorum pietas queat, minorque
Regis gloria nota Ludovici.
Per nos integra conſtat huic, & illi
Et laus, & decus, & probata virtus.
Quidquid diſſidii extitit moleſti
Tem-

Temporum vitio extitisse narrat
Prudens Historia, & fidelis, ac non
Gratiæ, aut odii inquinatà labe.
Ergo illam excipias rogo lubenter:
Nam quicquid Tua comprobet voluntas,
Quicquid judicium Tuum expolitum,
Id ratum esse jubebo, & acquiescet
Omnis turba, furorque detrahentum.

AD EUNDEM

HENDECASYLLABI

Cum Libro veteris latini Poetæ ex Editione Elzeviriana probatissima.

EX Elzevirii elegante prælo
Tuæ deliciæ optimus Poeta
Te libens adit, ut libenter olim
Mecenatem adiit, bonumque Agrippam,
Suos scilicet optimos Patronos:
Et fortasse animo libentiore
Versari cupit, & vacare musis
Tecum, Ruris in otio beato.
Fuere illi etenim optimi Patroni,
Sed non scilicet optimi Poetæ;
Cum Tu unà simul optimus Patronus
Idem & sis etiam optimus Poeta.

AD

AD MICHAELEM REGIUM PRÆSULEM

GENERE, INGENIO, DOCTRINA ORNATISSIMUM

HENDECASYLLABI.

HÆrere altius intimis medullis
Mihi peſtem hominum, Deumque amorem,
Regi, Tu ne ais, Optime Sodalis?
Jam dicam Tibi, nec pudet fateri.
Si Deas colere eſt amare; nullum
Tu certè invenies amantiorem
Syrmii Dominæ, meæque, quam me.
Nam mihi illa Dea eſt, eritque ſemper;
Quæ nil fœmineum, nihilque molle
Una in ſe habet. Una præſtat omni
Fœminis alieniore laude
Doctrinæ, ingenii, eruditionis.
Adde excelſum animum omnia æſtimantem
Infra ſe poſita, ut Deam deceret:
Fortunæ adde bona, aureamque Prolem
Caſtis moribus optimè inſtitutam.
Hanc Divam ergo colo, colamque ſemper,
Et, ſi vis, amo; nec pudet fateri.
Quam, Regi, precor, optime Sodalis,
Unà mecum ut ames; meumque amorem,
Qui rivalem alium ferat libenter,
Jam non peſtem hominum, Deumque dices,
Sed caſtum, nitidum, probumque amorem.

AD

AD ABUNDIUM REZZONICUM

CLEMENTIS XIII. P. M.

FRATRIS FILIUM

SENATOREM RENUNCIATUM.

QUod Patrui dulci cura eximioque favore
Romanam iſta ætate indueris Trabeam;

Quodque Tibi aſſurgat terrarum maxima Roma
Dum Capitolino ſiſteris in ſolio:

Eſt aliquid fateor, neque non fauſtumque bonumque
Quod Tibi cunque ſiet perpetuumque precor.

Sed candore animi, & virtute, & moribus aureis
Tantum ætate iſta promeruiſſe decus;

Hoc magnum nec inane puto; Hoc Tibi gratulor unum
Sincerè; Hoc Divo gratulor & Patruo.

AD

AD CLEMENTEM XIII. P. M.

Quum extemplò intercepto ſpiritu morti proximus viſus eſſet.

SEU vivis, ſeu mors inſtat, Pater Optime, Virtus
Quid valeat Sancto in pectore fixa doces.

At docuiſſe mori ſatis eſt: jam vivere perge,
Vel Tibi ſi renuas, vivere perge aliis.

AD CAROLUM BRUNSWICENSIUM

PRINCIPEM ATQUE DUCEM

Cum Caſtruccii Fr. Commentariis.

FRater ab Elyſiis rediens Caſtruccius oris
In manibus videat ſi ſua ſcripta Tuis,

CAROLE: non fruſtra docto indulſiſſe labori
Gaudeat, & tantum promeruiſſe decus.

Non potuiſſe tamen doleat Tua ſcribere facta,
Argumentum ingens nobilis hiſtoriæ.

IN NUPTIIS MARCI ANTONII BURGHESII ET ANNÆ MARIÆ SALVIATÆ

AD EUMDEM

MARCUM ANTONIUM BURGHESIUM

CARMEN.

VIVIT adhuc Frater, jam non ſunt omnia muta
Poſt cineres, vivit Caſtruccius: Illum ego vidi
Vidi equidem: exierant ab eburna non ea porta
Somnia, nec vanam illuſerunt irrita mentem.
Aſpiciens vultus oculos habitumque coloremque
Agnovi Fratris; dextrâ depicta Britanni *
Qualem tela refert, pendentem pariete quam Tu

Sæ-

---

* *Gibel Homo Britannus non tam pingendi artificio, quam ingenio & morum ſuavitate clarus Neapoli quum eſſet, amicum Caſtruccium mire depinxit.*

Sæpe Tuo cernis (voluisti hoc Marce penes Te
Præcipuum ut functi monumentum extaret amici)
Talis erat, veramque hæc vocem in verba resolvit.
Ergo inter plausus, & publica vota Quiritum
Non tu ad Conjugium & genialia fœdera Marci
Expectata diu, fatisque volentibus icta
Nunc tandem, tu non animum convertis inertem
Accersisque tuas ad carmina debita Musas?
Indictumne feres illaudatumque, movere
Cui juga Permessi sacra frondentia lauro
Omnia deberes, omnemque evolvere Cyrrham?
Tu nostras, Germane, vices, tu munera nostra
Ultro suetus eras, memini, subiisse; Paterni
Notus es in Fratres animi. Castruccius at nunc
Excidit, & nova te cœpere oblivia nostri,
Ætheriis ex quo miseri decessimus oris?
Nec venit in mentem, viventi qui mihi Marcum
Conciliarat amor, quantus, quam mutuus, atque
Quam fuit ille sacer? Quæ semper splendida sensi
Officia erga me, & quantos expertus honores,
Quorum haud exiguam referebas tu quoque partem?

Quæ me igitur nunc cura premit (neque enim omnia Lethes
Abluit ex animo, grati ſtant pectore ſenſus,
Priſcus amor caſſis quoque ſanguine vivit in umbris)
Quæ me cura premit, ne deſint debita gratæ
Munera amicitiæ, ne gaudia noſtra lateſcant,
Hæc eadem ad plauſus debet te, ad carmina, & amplas
Erigere ad laudes. Quæ lex adamantina Manes
Alligat, ingrati cogamur ut eſſe ſilenteſque,
Hanc mihi tu duram minus & minus effice iniquam,
Communique meum munus perſolve tuumque
Officio: major nunquam potiorque canendi
Cauſſa fuit, nunquam præſtantius argumentum.
Et facile eſt, magno preſſus ne pondere rerum
Succumbas, legere e tantis, quæ pulchrior, unam
Quam recolas laudem, & velut e variante corona
Carpere præcipuo fulgentem lumine florem.
Proin ſine concelebrent alii decora alta vetuſtæ
Ornamenta domus, Majorum in imagine quaque
Hærentes referant titulos, & nomina faſtis
Conſita: commemorent educta Palatia Cælo,
Undantem famulis aulam, turbaque Clientum,
Ingentes cenſus, fulgentia marmora, Villas,
Oppida, quæ priſcis certarent ſingula Regnis,
Et

Et rara & pretiosa opera artificumque labores:
Omnia quæ in terris animo mirante stupetis
Ignari; at quæ nos inter pretiumque decusque
Omne amiserunt. Etenim quos talibus olim
Novimus inflatos, nudos humilesque videmus
Esse in ludibrio; quin Reges atque Tetrarchas,
Usi amplis ni sint opibus bene, divitiæque
Virtuti fuerint tamquam instrumenta parandæ,
Ridemus vacuos, & laude & honore carentes.
Sint etiam ad pulchræ qui vertant carmina Sponsæ
Nomen, & excultos mores mentemque pudicam,
Splendoremque domus, unde illa enubit, & altum
Nobilitate genus, magnosque in stemmate Reges;
Plus dotata tamen virtutibus illa Parentum
Atque suis, gentem BURGHESJ in nominis amplam
Non tam fausta feret secum & felicia cuncta,
Omine quam certo firmabit, & ordine longo
Transmittet propria ad natos serosque Nepotes.
Hæc sint Mœonio quamquam dignissima cantu,
Tu Marci incorruptum animum, rectique tenacem
Concine propositi, Fortunæ mobilis undis
Inflexum, levium corruptum haud turbine rerum,

Judicia haud vulgi captantem aurasque
favertum,
Abductum blandis nec vocibus assentantum,
At comem, & dulcis præsertim sancta co-
lentem
Fœdera amicitiæ fidosque probosque legen-
tem.
Ille hunc sanus opum fructum studet esse
suarum
Scilicet: hinc læti convictus, gaudia, suaves
Sermones, nullaque in re discreta voluntas.
Inter inæquales æquum jus: efficit æquos
Ille sibi parili quos fœdere jungit amoris:
Officiis paribus contenditur. O ego quantas
Hausi delicias jucundo illius ab usu
Vobiscum ætheriis una cum vescerer auris!
Quam mea ponebam vitæ bene tempora!
Qui tum,
Quam suaves nitidique illo præsente sereni que
Illuxere dies! Cum vero lenta labantes
Vis morbi nostros sensim consumeret artus,
Atque etiam traherem per tristia tædia vitam,
Sedulus assedit languenti nocte dieque,
Quamque illo mihi tempore opem deferre
valebat,
Detulit ipse suo certumque levamen amore
Solamenque malis, gaudendi tum quoque
caussas
Suppeditans, mihi cum præsto sua semper
adessent
Officia, & curis angi nostroque dolore,
Nostraque partiri secum ipsum incommoda
nossem.

Quas

Quas ego tum grates impos morienſque referrem?
Conabar, ſcis ipſe tamen, ſcit Fortius ipſe,
Fortius æternum perfecti exemplar amici,
Cujus nil animo majus, nil terra tuliſſe
Candidius poſſit, vel honeſti & amantius æqui,
Tam pulchrum memini quo interprete fœdus iniſſe;
Conabar, ſed vox animâ fugiente vacillans,
Linguaque conatus ludebat frigida noſtros.
Proin omnem, noſtri germana o Frater imago
Ingenii, ſupereſt quo noſtra ſuperſtite multo
Pars melior, ſpem tunc in te omnem proiiciebam,
Atque onus hoc animi grati, ſi forte videri
Poſſit onus, quo nil uſquam jucundius extat,
In te deponebam ultro, ſupremaque tantum
Hæc mandata dabam, fretus pietate fideque,
Frater amate, tuâ; minus & tum mœſtus obivi,
Invitumque minus ſuprema hinc abſtulit hora.
Ergo age rumpe moras, præclarum nomen Amici
Concelebra, fontiſque omnes huc collige venas,
Aonii fontis, Muſarum huc munera confer
Omnia, dum ſacro feriuntur fœdera ritu
Conjugii, cultuque novo læta illa refulgent
Atria, & inductâ exultat domus inclyta Sponsâ.

Hæc ait, & contrà me reſpondere parantem,
Non hoc ingenium par eſt tam grandibus auſis,
Quale tuum, non hæ, Frater cariſſime, vires
Tu quas eſſe cupis tali pro tempore, fervens
Illa olim jam, ſiqua fuit, langueſcit ab annis
Lento vis animi motu: Hæc & multa volentem
Dicere præterea, & tendentem brachia dulces
Utraque in amplexus, tenues commixtus in auras,
Ut vapor, a nobis longe longeque receſſit,
Et levis & tacite labens evanuit umbra:
Ac tum me pariter Frater, ſomnuſque reliquit.
Hæc quæ ſomnia erant, animi certiſſima noſtri
Pignora jam Tibi ſint, Princeps; nam quod vigilantes
Optamus fruſtra & conamur, ſæpe retentat
Mens cupida in ſomnis votoque indulget inani.

AD

AD VITALIANUM
CARDINALEM BORROMÆUM
CLEMENTIS XIV. P. M.
IN ÆMILIA LEGATUM.

INgens præsidium, meumque dulce
Borromæe Decus, Tibi hanc opellam,
Hunc mitto Tibi muneri libellum
Philippus Bonamicius tuorum
Devinctissimus omnium Clientum;
Qui summæ mihi gloriæ esse ducam,
Si opella hæc tenuis, libellus iste
Acri judicio Tuo probetur.
Nam cum re, genere, atque dignitate,
Virtute, ingenio, eruditione,
Omni denique floreasque laude,
Tu pol præ omnibus optime latinum
Calles eloquium, aureamque linguam
Læli Scipiadæ Terentiique.
Quod si præterea hæc opella, & iste
Te libellus identidem monebit,
Ut quæ in me benefacta contulisti
Æternum tuearis augeasque,
Nil me lætius est beatiusque.

AD

AD MARIAM WALBURGAM

BAVARICAM

FRIDERICI SAXONUM DUCIS ATQUE ELECTORIS

VIDUAM

FOEMINAM REGIO SANGUINE, INGENIO, VIRTUTE SPECTATISSIMAM

Cum suis & Castruccii Fr. Scriptis editis.

INclyta progenies Regum Walburga potentum
Saxonicas inter, Bavarasque Heroidas omnes
Maxima; nascentem placido quam lumine vidit
Phœbus, & Aonides gremio excepere Camœnæ
(Namque Sophoclæo nos carmina digna Cothurno
Quæ lusisti olim Etrusco distincta lepore
Legimus attoniti, & veniens mirabitur ætas:)
Dum Te magna colit certatim Roma, Tuique
Vim miram ingenii, mores & suspicit aureos,
Egregiamque fidem; dum Clementissimus Urbis
Et Pater, & Princeps meritos largitur honores,

Hæc

Hæc quoque parva licèt facili dona excipe vultu.
Quamquam haud parva putem, queis hæc mihi gloria venit
Nuper, Te invisens cum non ignotus adirem,
Et non ignotum nomen Bonamicum ad aures
Accidere ipsa tuas dixti; monumenta recordans
Castruccii Fratris, crudeli heu morte perempti.
Quidquid ideft, nostri sanè argumenta laboris,
Si dexteram attigerint Regalem, oculosque subibunt
Alma Tuos, nostris surget nova gloria rebus,
Atque his accedet decus immortale libellis.



JO-

JOCUS AD AMICUM

HENDECASYLLABI.

NÆvi, Te ne iterum vetuſtâ flammâ,
Quam diu tacitam intimis medullis,
Dilapſam in cineres tandem putabas,
Nævi, Te ne iterum perire, & uri?
O factum male & admodum impotenter!
At Tu candide, & erudite Nævi,
Scripſeras mihi ſponte, nec roganti,
Iſtic velle diutius morari,
Ut magiſterio pio, & fideli
Sanctos neſcio quos Cuculliones,
Indoctos tamen, erudire poſſes,
Quorum Tu meritò es verendus Abbas,
Atque omnis Pater eruditionis.
O ſanctam ilicet inſtitutionem!
Abbatem niveà ſuæ puellæ
Dexterà implicitum ambulare circum,
Palàm & ludere, & invicèm jocari.
Sic ergo inſtituis tuos Cucullos?
O factum male, & admodum impotenter!
Quin camino oleum addis uſque, & uſque
Verſus molliculos Horatianos,
Queis mî ſignificas Tuos amores.
Nec ſanè invideo Tuos amores,
Quos immo precor auſpicatiores
Ante, quam fuerint. Te abeſſe Româ
Hoc quidem doleo, & Tui Sodales
Dolent ex animo, optimi Sodales;

Nec

Nec non frigidus, atque ineptus ille,
Qui mihi eſt ab Epiſtolis latinis,
Atque idem Tibi amore ſingulari
Conjunctiſſimus, utpote eſt quis eſſe.
Atque huic verſiculos Horatianos
Tuos jam dederam, Tibi ut referret
Pares verſiculos Horatianos,
Queis Te pungeret, & moneret idem,
Velles ut Dominam redire ad Urbem,
Velle ut deſineres perire, & uri.
Atque is magna minatus, ut ſenum eſt mos,
. . . .
Nil tamen pote ſcriptitare doctum,
Nil niſi illepidum inſcium inficetum,
Quod multo excipias joco, & cachinno.
Sed quod frigidus, atque ineptus ille
Non poteſt, poterunt boni Poetæ.
Nam quantum eſt hominum dicaciorum,
Sodaleſque Tuos, bonos Poetas
Appellabo alios: habent paratas
Hi chartas, calamoſque ſive etruſcos
Malis, ſive latiniores,
Queis Tuos veteres, novoſque amores
Pungant acrius, elegantiuſque.
Ergo, o candide, & o Amice Nævi,
Ne ceſſes dominam redire ad Urbem.
Aut, ſi pro reditu magis magiſque longum
Mî deſiderium Tui relinquas,
Expecta Hendecaſyllabos trecentos
Multis præcipuè jocis onuſtos
Urbano & ſale, nobili & lepore,
Quos probem ipſe, probent Sodales
Quos Tu, o Amice, nec improbare poſſis.

AD

AD CLEMENTEM XIV. P. M.

QUINQUENNALIA VOTA.

QUid pedibus ſupra caput, importuna ſenectus,
Incumbis mihi? quid pulchris conatibus obſtas,
Ne me ſubnixum, ut quondam, pernicibus alis
Tollere humo poſſim, & ſupera ad convexa volare?
Nil agis. Ecce alii ſubeunt in pectore niſus,
Et novus in mentem nec fruſtra illabitur ardor.
Ingenium fortuna facit nomenque decuſque
Clementis Magni, & quas lævior abſtulit ætas
Dat vires, validæque ſenem certare juventæ
Carminibus, Chorus Arcadiæ mirabitur omnis
Parrhaſiumque nemus. Jam ſexta revolvitur æſtas
Romuleâ cum ſede Pater Sanctiſſimus Orbem
Temperat, ac veterum nulli virtutibus infra
Egregiis, terras curam partitur in omnes.
Nauta velut magnâ pelagus turbante procellâ,
Vix maria incipiunt agitata tumeſcere, quicquid
Sive animis, ſive arte valet, nunc fluctibus obſtat,
Et nunc obſequitur, quo fert ſæpe impetus undæ
Tendit iter, ſæpe Oceano obluctatur, & Euris,

Do-

Donec victor ovans confecto denique cursu
Jam portum tenet, & plenis subit ostia velis.
Non secus adversis rerum immersabilis undis
Hæc nobis optata diu Pater otia fecit,
Et finem dedit ærumnis, pacemque reduxit,
Atque unus nobis non ferro, armisque cruentis
Bella gerens, diæ sed robore mentis, & acri
Consilio fretus Romanam restituit rem,
Amissasque Urbes antiqua in jura recepit.
Quis tamen hic speret se posse æquare canendo
Ingentes curas exantlatosque labores,
Aut quantas animum Clemens dimisit in artes,
Ut magnos irarum æstus compesceret, atque
Turbatos animos sibi conciliaret amico
Fœdere? Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum,
Non si prima mihi floreret vere juventa,
Tanta equidem digno possim comprendere cantu.
Dis potius pia vota feram, Superosque rogabo,
Ut pacem hanc non ulla dies abrumpat, & idem
Clemens tam pulchræ tranquilla per otia pacis
Ostia Templorum referet sacra, atque vocatis
Det veniam populis, & limina pandat Olympi;
Atque diu ad Clavum sedeat, velisque ministret;
Et Cymbam innumeris subductam sæpe periclis
Incolumem longo regat imperterritus ævo.

AD

AD PIUM SEXTUM

PONTIFICEM MAXIMUM

Qui ad Poetam ægrotantem miſerat Orationem a ſe habitam in cooptatione Cardinalis Jo. Caroli Bandii, ejus Avunculi.

O Mirum ingenium eloquentiamque!
Quæ morbo ſubitum attulit levamen,
Et priſcam mihi retulit ſalutem.
Æger languidulus toro jacebam
Cum ſemel mihi, biſque tertioque
Lecta Oratio diligenter illa eſt,
Quam dono mihi miſeras jacenti,
Omnium Pater Optime, atque Princeps.
Ut legi, ut valui, ut repentè membris
Is morbi gravis acquievit ardor,
Ut vires animique, corporiſque
Confeſtim rediere, perque venas
Læta & temperies ſaluſque fluit,
Sic mira ingenii eloquentiæque
Vi Tuæ incolumis torum relinquo,
Omnium Pater Optime, atque Princeps.

IN

IN NUPTIIS

SIGISMUNDI CHISII

ET FLAMINIÆ ODESCHALCHIÆ

AD VICTORIAM CORSINIAM

ODESCHALCHIAM

SPONSÆ MATREM

CARMEN.

NON quia ſubrepis tacitè properata Senectus
Sub tua jura trahens quod vitæ cunque ſuperſit,
Inviſa idcirco venis inſperataque nobis:
Nec veteres in te juvat ingeminare querelas,
Aut jacere ulla tuum in nomen convincia, ſtultum
Ingratumque ſolet quæ ſæpe effundere vulgus,
Dum triſtem te vel duram aut compellat amaram.
Neſcia proh quantum, & votorum incerta ſuorum eſt
Mens hominum! abſentem cupiunt te ſcilicet omnes,
Diſtenduntque ſuas ſpes in tua tempora, ſed te

Præſentem oderunt & deteſtantur adepti.
At mihi curarum es requies, portuſque laborum.
Salve, o ſancta igitur, longeque optata Senectus
Nec fruſtra expectata diu mihi, ſalve: Ego quam te
Excipio amplectorque libens! quam grata repente
Advenis! adveniens quæ tecum fauſta reducis
Tempora! quam læto me protinus omine comples!
Te veniente meam licet en mihi cernere Divam
(Si fas eſt ullam mortalem dicere Divam,
Unde mihi decus & rerum ſpes ſuppetit omnis)
En pluſquam aſſueto radiantem lumine Divam
Cernere jam per te licet, & jucunda obeuntem
Munera, regifico properat dum ſplendida cultu,
Et charæ aſſimilique ſibi Connubia Natæ
Dum parat. O felix Hymenee, o feſta lapillo
Candenti ſignanda dies, qua jungitur aureis
Moribus, & niveo præſtans candore Puella,
Matris amor, Genitoris honos, utriuſque voluptas,
Qua non progreditur Romanos pulcrior inter
Ulla puellares cœtus, non ſanctior ulla,
Nobiliorque nec inceſſu cultuque decoro,
Aut oculis adeo referens aut ore pudorem:
Jungitur illa (favent omnes clamore ſecundo
Proſequiturque ſuis late Roma excita votis)
Jun-

Jungitur egregio Juveni, quo doctior alter,
Nec magis a teneris pulcras effictus ad artes.
Mnemosyne hunc ipsum prodeuntem in luminis auras
Excepit gremio & lactanti pectore fovit,
Imposuitque sua detractam fronte coronam
Phœbus Mæoniique viam monstravit Homeri;
Quanta o vis animi, quantum virtutis in illo,
Quamque vigil ratio pravis contraria nosse,
Nolle sequique, nec ex ulla deflectere parte!
Nubite felices, Vestrum par prorsus & æquum
Conjugium est, nihil æquali felicius illo
Scilicet, & quod Dj fausto magis omine firment.
Sunt utrique pares animi, virtutis utrique
Par studium, pudor hinc, illinc sapientia certat,
Certat utrinque fides & mutuus ardor amoris,
Utraque divitiis, magnis Domus utraque floret
Majorum, profert quos multa in imagine, gestis.
Ac veluti sublime oculos qui nocte serena
Sustulit in Cælum, mille uno tempore cernit
Sidera; sic nostræ spectacula grandia menti
Obiiciuntur, ubi stirpem lustramus utramque,
Nominaque apparent præstantibus indita fastis.
En summo tamquam rutilantes vertice Stellas
Quattuor aspicio Romani fulgida Signa
Imperii, & totidem sacrarum culmina rerum.
Ille Vir incanam triplici diademate cinctus
Cæsariem, servans æqui, fuit ille Tyranno

Ingens Odryſio metus, ardua Viennæ
Mœnia cum Lunas non exceptura bicornes
Concuteret. Micat alter apex prope : quantus
in illo
Ardor! dum veteri convulſam a ſede tuetur
Doctrinam reparatque, & ſancta Oracula
legum
Firmat Alexander. Subeunt clariſſima longe
Lumina, majeſtas circum diffunditur ingens;
Agnoſco vultus, agnoſco grandia facta,
Quæque ſui Clemens geminus monumenta
reliquit,
Conſpicio, divinum animi teſtantia robur.
Quo me aliæ rapitis Proavumque Atavumque
viciſſim
Ingentes Animæ longe & præclara Nepotum
Nomina? Nec meminiſſe vacat, nec Tu
ſinis, offers
Qui Te oculis mentique meæ, ſpes magna
Parentum
Balthaſar, o caſtæ Frater digniſſime Sponſæ,
Conſilio ætatem qui præveniis, iſque per
omnem
Doctrinæ, ſanctis ornas quam moribus, orbem,
Pluſque tua certas, quam laude nitere Tuo-
rum.
Nec Te etiam Sponſi memorem Germane, nec illa
Quæ Te digna manent meritis decora alta
recenſens,
Splendida dum Patrui ſervas veſtigia, eumdem
Promeritum jam nunc Tibi gratulor augur
honorem.

Sed

Sed quocumque abeam, longos intexere versus
Non datur, o Sponsæ Mater, mea Diva, reverti
Quin properem quo luce Tua trahis, exorientem
Ad Solem velut a circumfulgentibus Astris.
Gratia nascenti cum Musis terna novenis
Adfuit: hinc gratique sales cultique lepores
Sermonis, mira hinc semper facundia linguæ,
Itala sive velis, seu Gallica verba profari,
Et vetus in Latium commigras sæpe, sonosque
Docto, quos olim Cornelia, fundis ab ore:
Egregiasque artes, priscisque Annalibus haustam
Calles Historiam, nec non propiora revolvis
Tempora, nec non & nostro plus vivis in ævo.
Est Tibi Vir etiam, qualem Nereides ipsæ
Optent, Urbis deliciæ, Tua maxima cura
Livius, Heroum genus, atque ipse inclitus Heros;
Qui Te jam multos annos thalamique domusque
Accepit sociam, sed nunc quoque diligit unam.
Dicam equidem (invidiam nec jam moror, infremat usque)
Tantum alias Ipsa exuperas Heroides omnes
Excelsæ quantum in campis viburna cupressi.
Quam Tua regales inter mens splendida gazas!
Quanta & munifico profert se pectore virtus!
Quam benefacta placent! gaudes ope semper adesse
Præsenti, nec jam gratus finis esse fatendo.

Sed fateor tamen ipse, vetes licet atque repugnes,
Nil Tua jussa moror, Tua dum benefacta recorder.
Jactatum abreptumque diu me fluctibus Aulæ
Tu revocas, animoque bono facis esse, benigne
Exceptum in numero Tu me vis esse Tuorum,
Suavis amicitiæ me ornatum munere ditas,
Et mihi jucundas Tecum das, o bona, luces,
Scilicet erepto misera ambitione gravique,
Condere, servatrix nostrarum & sospita rerum.
Tuque senescenti præstas quoque gaudia vitæ,
Et tamen est eadem mihi nunc adversa Senectus,
Comprimit ingenii motus animique quod omnes
Frigida, nec tanto mihi sufficit argumento
Aut numeros, aut verba, pares aut denique vires.
Conatu in medio gelidus tremor occupat artus,
Phœbus & infirmæ contendentem admonet artis,
Contrahe lora, inquit, quo jam temerarius instas,
Et cur effœto magnam rem deprimis ausu?
Terret & ipsa Tui me, o Diva, modestia vultus:
Decedo, versamque Tuam in me deprecor iram.

At Vos interea felices fœdere sancto
Ad thalamum læti & communia gaudia, Sponsi,

Ite,

Ite, fides & amor Vos & pax pronuba, Cæloque
Aurea plaudenti labens concordia jungit;
Antiquum renovate genus, diſtendite ſtirpem,
Virtutemque Domus in ſæcula longa, Parentum
Quæ referat vultus, Majorum geſta propaget
Inclita, fœcundam Prolem date, moxque daturam
Ordine perpetuo nova ſemper germina; nunquam
Per Vos Heroum deſit rediviva propago,
Præſidio Patriæ, decorique parentibus eſſe
Qui poſſint, famaque Orbem complere, ſed ipſam
Præcipue Romam, qua quid divinius extat?
O ſi quid de te merui, mea cana Senectus,
Si te ſæpe meis votis precibuſque petivi,
Et nunc ſi lætam voco jucundamque, reſerva
Me precor ad Divæ nova gaudia, chara Nepotum
Pignora cumque ſinu ſtringet, cumque oſcula figet
Arridentibus, appendenſque crepundia collo
Colludet, blandoque hilares ſermone laceſſet.

AD STEPHANUM BORGIAM

PRÆSULEM ERUDITISSIMUM

Auctorem Libri de Cruce Veliterna, atque Alexandri Archiepiscopi & Principis Firmani, qui Veliternam Historiam conscripsit, Fratris Filium.

NON tam progenies Velitras Octavia * tollit,
Quæ pacem Æneadum reddidit Imperio,

Nec tam, qui repetens ortum Tuus ordine Volscæ
Urbis Alexander texuit Historiam;

Quam chartis Veliterna Tuis Crux, Borgia, fulget,
A Te dum priscis promitur ex adytis.

Illa etenim potis est ævi delere vetustas,
Perpetuum manet hoc relligionis opus.

IN

---

* Augustus, qui Janum clausit, ex Octaviâ fuit Veliternâ Familiâ.

IN OBITU

FLAMINIÆ ODESCHALCHIÆ CHISIÆ.

NYmpha decus Latii, dum Fata, Deusque sinebant,
Qua nihil in tota pulchrius Urbe fuit;
Corpore quæ toto ridens spirabat amores,
Quam Cytherea manu finxerat ipsa suâ.
Nympha Deæ similis, seu ducere læta choreas,
Fundere seu roseo vellet ab ore jocos;
Occidit, & nobis, & toti flebilis Orbi,
At nulli, o Conjux, quam Tibi flebilior;
Occidit invidit pulchræ Lucina Parenti
Gaudia fecundi multiplicata Thori.
Luxit Amor, pedibusque faces restinxit, & arcum
Fregit, & optavit se quoque posse mori.
Crinibus Aonides sparsis luxere Sororem,
Luxere & Carites, quæ timuere sibi.
Ipsa suas leges, & ineluctabile Fatum
Natura est hoc in funere visa queri.

MA-

MARIÆ CHRISTINÆ
AUSTRIACÆ
REGIÆ SPECTATISSIMÆQUE FŒMINÆ
ALBERTI SAXONIS
REGII PRINCIPIS
CONJUGI

Cum Commentario de Vita Innocentii XI. P. M.

FOrtunata dies, totum expectata per annum;
Altera quæ Vestræ natalis dicitur Urbis;
Ecce redit: Decet hanc magna cum Matre Tuisque
Fratribus Augustis quoque Te CHRISTINA, Potentum
Austriadum sanguis, tantæ & virtutis imago,
Te decet hunc celebrare diem, & persolvere grates
Imperium Vestramque Domum tutantibus usque
Præsenti auxilio Superis, perque ipsa pericla
Ad majus decorum inducentibus incrementum.
Regius & celebret Conjux, ubicumque moratur,
Nam res Hungaricas tractantem, & munera belli
Fortasse illum aliò rapuit sua vivida virtus.

Dum

Dum festum ergo agis ipsa diem, vultumque serenas
Atque animum, èque oculis solito clementior ardor
Emicat, ad Te aditum licèt absens ipse paravi
Jam mihi tam dextro, tam læto tempore tutum.
Scilicet ut dono, quod parva mole volumen
Afferimus, quo more soles, facilisque libensque
Excipias: si non tenuis Te scriptor, at ingens
Argumentum operis laudique affine Tuorum
Permoveat, quoque ut hunc aliquo digneris honore.
Nam vitam afferimus, famæ & sacrata perenni
Gesta recensemus magni illius Odescalchi,
Qui fuerat Vestræ jam tum pars magna salutis;
Cujus & Austriacis adjuncta est gloria fastis.
Ille oppugnanti regalis celsa Viennæ
Mœnia barbarico se, ut murus aheneus, Hosti
Opposuit: Magnas nimirum in Vestra paravit
Subsidia atque effudit opes. Sed certius illud
Præstitit auxilium, multoque potentius auro,
Vota precesque suas, Cæli, superumque favorem,
Præsentemque Deum, solo qui maxima nutu
Agmina disjecit, speque omnia Regna vorantem,
Jamque insultantem victoris more Tirannum
Extemplo dare terga fugæ sub nocte coegit
Præcipitem. Quam tunc versa vice læta refulsit
Illa dies! omnes & quam memoranda per annos!
Hinc memores gratique Tui, cui tanta referri
Vi-

Viderunt debere, Viro, qui Numen amicum
Præbuit: Hinc facrum Odefcalchi nomen habetur
Pontificis, carum fuperis Regnifque verendum:
Hinc Odefcalcham Veftra ingens gratia fluxit
In gentem: Vos hinc illi coluere coluntque
Præcipuè, tantæque Domus nituntur amore
Atque patrocinio. Studia hinc flagrantia utrique,
Tutelæ in Vobis certæ, conftantis in illis
Obfequii: Genus hoc. Quæ Tu ipfa exempla dedifti,
Quæque reportafti, Latiam cum nuper ad Urbem,
Ad facros colles, venerandaque Templa, PIUMQUE
Veniffes? In Te mirata eft Roma, refulget
Regia quæ virtus animo, pietafque fidefque,
Conjunctufque pudor cum Majeftate decorque:
Quam comis, facilis, placidoque affabilis ore!
Talem præ reliquis Te fenfit grataque veris
Laudibus extollit recolit veneratur amatque
Fœminei Romana decus VICTORIA fexus,
Quam Tibi amicitiæ voluifti fœdere junctam
Æterno, quo non memoras jucundius ullum.
Sed quid ego tenui laudes expromere cantu
Immenfas coner, quas nulli æquare poteftas?
Mi fat erit; fi non ingratum hoc munus habebis,
Nec Tibi difpliceat cum munere muneris auctor.

PRO

PRO JO. BAPT. COLLICOLA

PONTIFICIIS STATIONIBUS PRÆFECTO

Quum Suburbanum extra Portam Flaminiam Aucupio percelebre restituendum curasset.

QUeis dedit hanc ſedem peramœno in colle fruendam,
Notam plumoſi laudibus Aucupii;
Hoc quod nulla utinam monumentum obliteret ætas
Collicolæ SEXTO conſtituere PIO;
Longævos annos ſimul & bona cuncta precati:
Hæc a quo ſibi ſunt atque alia orta bona.

MUNUSCULUM

NATALI SALICETO

MEDICO NOBILISSIMO.

TOchaici Vini,quod multos prædicat annos,
Amphora ſit veteris pignus amicitiæ,
Salicete, Tibi, quem longum Næſtoris ævum
Optat amico animo vivere Agatophilus.

JO-

JOSEPHI ANTONII TARUFFII

BONONIENSIS

AD PHILIPPUM BONAMICIUM

LUCENSEM

AUCTOREM LIBELLI OMNINO AUREI

De Claris Pontificiarum Epist. Scriptoribus.

E L E G I A.

Publica dum Latiæ tutaris commoda linguæ
Fervidus ingenio, candidus eloquio,
Et paucos celebras artis, Bonamice, magistros,
Nec turpem dubitas prodere barbariem,
Quæ sacro interea prætexens nomine culpam
Ausa est indugredi limina Pontificum;
Roma vetus summis e collibus admirata
Prædulces memori percipit aure sonos;
Et sibi tale aliquid nunc demum audire videtur,
Quod priscis cupidam mulcet imaginibus,
Quum fulta imperio, domitumque invicta per Orbem
Omnigenis late jura dedit populis.
Nec solum gentes gladio prostrare superbas,
Verum etiam suadæ fulmine flexanimæ
Sternere glis centes per turgida corda tumultus;
Civilesque iras frangere cura fuit.
Par decus armorum, dominæ par gloria linguæ:
Felix qui studio præstitit alterutro!

Huic

Huic populi, & Patrum volitare per ora faventum,
Huic pollere opibus, muneribusque datum est.
Sed quamvis Tiberim, veteremque oblitus arenam,
Structaque prævalida mœnia celsa manu,
Longe alias pridem Mavors jecesit in oras
Terrarumque ingens dijcidit imperium:
Quid vetat ascræis saltem clarere triumphis,
Et palmam exculto quærere ab eloquio?
Ite alacres certis jam gressibus ite, Quirites,
Florificum pandit qua Bonamicus iter.
Ite agite, & sacros securi accedite fontes,
Hoc juvet antiquum calle merere decus.
Nec vos ausoniam pigeat coluisse Minervam,
Unde olim vestris plurima lux atavis;
Tempore, quo scythicis detersas sordibus artes
Magnanimus Romæ reddidit ille Leo.
Deliciæ humani generis Leo maximus, aurei
Quo fulsere iterum regna tenente dies:
Qui veterum puro radiantem lumine Bembum,
Et studio excepit te, Sadolete, pari;
Præstantesque viros, dilectaque nomina musis
Auxit, & ingenium promere posse dedit.
Quas quum ego suspicio, referoque in carmina laudes,
Tu simul ante oculos, tu mihi visus ades,
Optime, nec decimo absimilis, Benedicte, Leoni,
Vivida cui virtus, gratia, consilium,
Miraque divinis vigilata volumina curis
Induerunt serto tempora tergemino.
Ac Te adeo quantum vigeat res publica Rege,
Quo stet cælipotens robore Relligio:
Auspice Te, quanta sapientes luce fruantur,
Quum læta ingenuis artibus eveniant;

Haud

Haud equidem numeris connitar dicere parvis,
Nec tanto aspiret numine Calliope.
Nimirum ingenii Bonamicus vela secundi
Pandet, & immenso naviget Oceano:
Qui sive eloquio liber spatietur aperto,
Seu malit certis claudere sensa modis,
Auspiciis didicit securis ire per altum,
Et puppim optatis sistere Littoribus.
Ille pium doctis complecti annalibus ævum
Gaudeat, ille unus Principis egregii
Victuris studeat benefacta intexere chartis,
Romanæque diu consulat historiæ.
At Xenophonteis acer Castruccius ausis
Præpollens alia tentat ad astra via:
Ingenio caussas evolvet, & intima rerum
Et Regum studia, & consilia alta Ducum:
Italici eventus belli, martisque labores
Narret & Austriadum, Borbonidumque vices:
Inclyta facundos extollat fama libellos,
Et veteri emissos nunciet e Latio.
Salvete, Illustres Animæ, par nobile fratrum,
Pectora palladii prædita divitiis!
Per Vos sermoni stat honos, & gratia vivax,
Quo peream si quid cultius esse potest.
Per Vos nec fatuum scriptis dominatur acumen,
Nec suada ancipites venditat illecebras.
Illustres salvete Animæ, quas Libera Tellus
Ingenuo plenas robore progenuit!
Illa peregrinis nunquam non hospita musis,
Illa virûm, & virtutum omnium amica domus,
Præcipuo Vobis studio favet aurea Roma,
Vos petit, & grato carmine concelebrat.

Hic

Heic · jacet

Hieronymus · S· R· E· Presbyter · Cardinalis

De · Bardiis · Vernii · Comitibus

Florentinus

Vir · Ob · Varios · Magistratus

Sine · Ambitione · Gestos

Reipublicae · Non · Inutilis

Ob · Vitae · Integritatem

Morum · Que · Suavitatem

Nemini · Non · Carissimus

Obiit · Romae · An· Sal· MDCCLXI·

Aetatis · Suae · LXXVI·

Providentiae · Et · Liberalitati

Clementis · XIII· P· M·

Qui · Nosocomii · Angustiis · In · Aestivarum

Febrium · Confluentia · Consulens

Aedes · Has · Quae · Horrea · Fuerant

Miseris · Aegrotis · Excipiendis · Curandis · Que

Pecunia · Sua · Paravit · Exornavit · Que

Curante . . . .

Cle-

Clementi · XIII· P· M·

Quod

Stativis · Ad · Extimam · Portam · Translatis

Inde · Que · Prolata · Urbe

Ac · Munitiori · Reddita

Commercio · Et · Publicae · Commoditati

Prospexerit

Xaverius · Canalis · Ærarii · Pontificii · Praefectus

D· N· M· Q· Ejus

P· C·

Lazaro · Opicio · Cardinali · Pallavicino

Clem· XIV· Sapientiſſimi · Pontificis

Primo · Gerendae · Reipublicae · Adminiſtro

Generis · Splendore · Omnium · Que · Virtutum

Domi · Foris · Que · Parta · Laude · Ornatiſſimo

Acri · Rerum · At · Que · Hominum · Aeſtimatori

Comi · Prudenti · Magnifico · Probo · Eleganti

Optimarum · Artium · Patrono · Optimo

De · Se · Et · De · Caſtruccio · Fratre · Dum · Viveret

Egregie · Merito

Philippus · Bonamicius

D· D· D·

D.

D· O· M·
Opicio · Pallavicino · S· R· E· Cardinali
Tit· S· Martini · Ad · Montes
Qui · Multis · Ecclesiae · Muneribus · Sancte
Feliciter · Que · Gestis
Apostolicae · Sedi · Sui · Animi · Magnitudinem
Tum · Praecipue · Probavit
Cum · Apud · Polonos · Legatus
De · Expeditione · Regis · Johannis · Sobieschii
Ad · Vindobonam
Arctissima · Obsidione · Liberandam
Valde . Solicitus
Ingentem · Pecuniae · Vim
Quae · A · Pontifice · Ad · Alendum · Exercitum
Curabatur
Ut · Ne · Qua · Mora · Spem · Salutis
In · Celeritate · Positam · Corrumperet
De · Suo · Ipse · Repraesentavit
Mox · A · Ven· Innoc· XI· Purpura · Ornatus
Et · Auximano · Episcopatu · Auctus · Fuit
Lazarus · Opicius · Pallavicinus · Cardinalis
Fratris · Nepos
Ne · Domestici · Exempli · Splendor
Injuria · Temporis · Obsolesceret
H· M· Instaurandum · Voluit
Ann· MDCCLXXIV·
Vixit · Annos · LXIX· Obiit · Die· XI· M· Febr·

Fr· Thomae · Ricchinio

S· Palatii · Magistro · Reverendissimo

Viro · Eruditione · Doctrina

Latine · Scribendi · Facultate

Praestantissimo

Multis · In · Dominicana · Sua · Familia

Et · In · Romana · Curia · Muneribus · Sancte

Et · Egregie · Obitis

Spectatissimo

Amico · Optimo · Et · De · Se · Optime · Merito

Librum · De · Claris · Epistolarum · Pontificiarum

Scriptoribus

Philippus · M· Bonamicius

Observantiae · Benevolentiae · Que · Pignus

D· L· M·

Fran-

Francisco · Comiti · Herzanio
XIIviro · Pro · Germania · Stlitibus
In · Urbe · Dijudicandis
Augusti · Josephi · II· Imperatoris
Et · Apostolicae · Reginae
Mariae · Theresiae · Ab · Intimis · Consiliis
Praesuli
Doctrina · Integritate · Morum · Suavitate
Ornatissimo
Et · Mira · Dexteritate
In · Negotiis · Principum · Agendis
Cum · Pietate · Et · Religione · Maxima · Raro
Exemplo · Conjuncta
Spectatissimo
Amico · Optimo · Et · Benemerenti
Philippus · Bonamicius
Hancce · Orationem
A · Se · Apud · S· R· E· Cardinales
Dum · exequias
Clementi · XIV· P· M· Persolverent
Habitam
Observantiae · Benevolentiae · Que · Pignus
D· L· M·

In · Hoc · Cubiculo · Sixtus · V· P· M·
XV· Kal· Novemb· MDLXXXIX·
Tarracinam · Ad · Visendas · Pomptinas · Paludes
Petens
Et · Clemens · VIII· P· M·
IX· Kal· Martias · MDXCVI· Antio · Veniens
Ille · A · D· Honorato · Caetano · V·
Hic · A · D· Petro · VI· Sermonetæ · Ducibus
Splendidissimè · Accepti · Pernoctarunt
Benedictus · XIII· P· M·
XV· Kal· Julias · MDCCXXVII·
Benevento · Rediens · Meridiana · Requie
Itineris · Laborem · Relaxavit
Deducente · D· Michaele · Angelo · XI·
Sermonetæ · Duce
Demum · Anno · MDCCLXVIII·
Maria · Carolina · Austriaca
Ad · Nuptias · Ferdinandi · IV· Borbonii
Neapolitani · Regis · Vindobona · Properans
Comitantibus
Leopoldo · Fratre · M· Duce · Etruriae
Ejus · Que · Uxore · Maria · Aloysia · Borbonia
Ferdinandi · Regis · Sorore
Laeta . Libens · Que · VI· Idus · Majas
Opportuno · Hospitio · Noctem · Transegit
Magnificentissimas · Epulas · Ludos · Que
Praebente · XII· Sermonetae · Duce
D· Francisco
Qui · Ne · Sui · Suorum · Que · Majorum · Honoris
Hujus · Que · Loci · Dignitatis
Memoria · Excideret
Monumentum · Hoc · Ponendum · Curavit
Anno MDCCLXVIII·

Cle-

Clementi · XIV· P· O· M·
Quod · Sodalitati
Ad · Templum · Incendio · Absumptum
Reficiendum
Plurimorum · Onerum
Quoad · Opus · Perficeretur
Immunitatem · Dederit
Quod · Ex · Fisco · Apostolico
Quingentos · Nummos · Aureos · Erogari · Jusserit
Quod · Tumulandorum · Sodalium · Jus
Ut · Huc · Loci
Ex · Titulo · Equitii · Transferretur
Authoritate · Apostolica · Permiserit
Ea · Que · Omnia · Praestiterit
Authore · Interprete · At · Que · Interventore
Dominico · S· R· E· Cardinali · Ursinio
Regis · Utrius · Que · Siciliae · Legato
Sodalitatis · Patrono
Sodales · Ipsi · H· M· P· D·

Pio

Pio · VI · P · M ·

Ad · Lateranum · More · Majorum

Solemni · Pompa · Adeunti

S · P · Q · R ·

Optimo · Principi

Pro · Felicitate · Imperii

Votum · Nuncupat

Ma-

Maximiliano · Austriae · Archiduci

Quod

Suo · In · Urbem · Adventu

Anni · Magni · Jubilaei · Celebritatem

Auxerit

Fratres · Que · Augustos · Imitatus

Simillima · In · Hoc · Etiam · Templo

Austriacae · Pietatis · Exempla

Ediderit

M· P· P·

Ma-

Maximiliano · Josephi · II· Augusti · Fratri

Magno · Ordinis · Teuthonici · Magistro

Quod

Anno · Jubilaei · Urbem · Romam · Advenerit

Ibi · Que · Triginta · Amplius · Dies · Commoratus

Celeberrimis · Templis

Rite · Diligenter · Religiose

Visitatis

Alterum · Austriacae · Pietatis

Exemplum · Prodiderit

Provisorum · Collegium · D· N· M· Q· E· H· M· P·

An· MDCCLXXV·

Ferdinando · Austriae · Archiduci

Galliae · Cisalpinae · Austriacae · Gubernatori

Commentarium

Vitae · Et · Rerum · Gestarum

Ven· Innocentii · PP: XI· Odeschalchii

De · Christiana · Republica

De · Que · Augusta · Domo

Optime · Merenti

D· D:

Principi · Religione · Et · Sapientia

Praestantissimo

Philippus · Bonamicius

A · Latinis · Literis

Pii · VI· Pontificis · Maximi

Apud · Quem

Causae · Canonizationis · Servi · Dei · Postulatorem

Agit *Jo-*

Johanni · Baptistae · Rezzonico

S· R· E· Diacono · Cardinali · Amplissimo

Clementis · XIII· SS· Pontificis · Fratris · Filio

A · Supplicibus · Libellis

Pii · VI· Feliciter · Regnantis

Pro · Eximia · Ipsius · Cum · Aulae · Pontificiae

Praefectum · Ageret

Erga · Se · Liberalitate

Philippus · Bonamicius · Immortaliter · Devinctus

Obsequii · Et · Grati · Animi · Causa

Hunc · Commentarium

D· D· D·

Jo-

Johanni · Francisco · Albanio

S· R· E· Cardinali · Decano · Amplissimo

Ingenio · Doctrina · Ac · Morum · Suavitate

Praestantissimo

Clementis · XI· Immortalis · Pontificis

Fratris · Abnepoti

Qui · Pontifex · Primus · Omnium

Judicium · Canonizationis

Ven· Servi · Dei · Innocentii · XI·

Instituendum · Curavit

Commentarium · De · Vita · Et · Rebus · Gestis

Ejusdem · Servi · Dei

Philippus · Bonamicius

D· D· D·

Vi-

Vitaliano · Borromeo

Aemiliae · Cardinali · Legato · Amplissimo

Philippus · Bonamicius

Pro · Magnis · Veteribus · Beneficiis

Immortaliter · Devinctus

Hunc · Commentarium · G· A· M·

D· D· D·

Fran-

Francisco · Carasae

S· R· E· Cardinali · Amplissimo

Summa · Generis · Nobilitate · Praedito

Et · Legationibus · Aliis · Que · Magistratibus

In · Romana · Ecclesia

Sancte · Ac · Diligenter · Obitis · Praeclarissimo

Qui · Propter · Singularem · Benevolentiam

Apud · Pium · VI· P· M·

Fortunarum · Suarum

Studiosissimus · Patronus · Extitit

Philippus · Bonamicius

Obstrictus

Memoria · Recentis · Beneficii · Sempiterna

Antonio · Casalio · Romano

Cardinali · Diacono · Amplissimo

Sapientia · Doctrina

Et · Summis · Reipublicae · Magistratibus

Sancte · Et · Cum · Dignitate · Gestis

Spectatissimo

Patriae · Et · Communis · Boni · Amantissimo

Patrono · Optimo

Et · De · Bonamiciis · Optime · Merito

Philippus · Bonamicius

Hunc · Commentarium

De · Vita · Et · Rebus · Gestis · Innoc · XI ·

A · Se · Nuper · Editum

Grati · Et · Obsequentis · Animi · Pignus

D · D · D ·

Fran-

Francisco · Xaverio · De · Zelada

S· R· E· Cardinali · Amplissimo

Ingenio · Doctrina · Et · Mira

Rerum · Gerendarum · Solertia · Praedito

Quem

In · Tridentini · Concilii · Placitis

Et · Subtiliter · Interpretandis

Et · Dilucide · Explicandis · Magistrum

Et · Exemplum · Optimum · Habuit

Philippus · Bonamicius

Hunc · Commentarium

Grati · Animi · Monumentum

D· D· D·

Ludovico · Calino

S· R· E· Presbytero · Cardinali · Amplissimo

Commentarium

De · Vita · Et · Rebus · Gestis · Ven· Ser· Dei

Innocentii · XI·

Philippus · Bonamicius

Patrono · De · Se · Optime · Merito

Grati · Et · Obsequentis · Animi · Pignus

D· L· M·

Pa-

Paschali · Aquaevivae · Aragonio
Cardinali · Diacono · Amplissimo
Genere · Prudentia · Et · Legationibus
Tum · Avenoniensi · Tum · Urbinate
Sancte · Et · Cum · Dignitate · Administratis
Spectatissimo
Qui · Ab · Immortali · Cardinali
Trojano · Aquaviva
Haereditate · Susceptam · Erga · Bonamicios
Benevolentiam · Auget · In · Dies
Commentarium · De · Vita · Et · Rebus · Gestis
V· S· D· Innoc· XI·
A · Se · Scriptum
Philippus · Bonamicius
Patrono · Optimo
Grati · Et · Obsequentis · Animi · Ergo
D· L· M·

Josepho · Taruffio
Viro · Praestantissimo
Doctrina · Ingenio · Eruditione
Et · Rerum · Gerendarum · Prudentia
Quae · Maxime · Enituit
Cum · Cardinali · Eugenio · Vicecomiti
Omnibus · Virtutibus · Ornatissimo
In · Obeundis · Amplissimis · Legationibus
Tum · Polonica · Tum · Vindobonensi
Utilem · Et · Fidelem · Operam · Navavit
Et · Cum · Ipse · Permultos · Menses
Difficillimo · Reipublicae · Tempore
Vindobonae · Pro · Legato · Fuit
Hunc · Commentarium
De · Vita · Et · Rebus · Gestis · Innoc· XI· P· M·
Philippus · Bonamicius
Veteris · Amicitiae · Pignus
D· L· M·

Cur-

Curtio · Reginaldo · Bonio
Ingenio · Doctrina
Rerum · Divinarum · Cognitione · Conspicuo
Sacrae · Congregationis · Indulgentiarum
Consultori
Et · Congregationis · Matris · Dei
Praeposito · Generali · Dignissimo
E · Qua · Congregatione · V· S· D· Innoc· XI·
Doctissimos · Sanctissimos · Que
Ludovicum · Et · Franciscum · Marraccios
Et · Cum · Cardinalis · Et · Cum · Pontifex · Esset
Moderatores · Conscientiae · Suae · Ascivit
Commentarium · De · Vita · Et · Rebus · Gestis
Ejusdem · S· D·
A · Se · Nuper · Editum
Philippus · Bonamicius
Civi · Et · Amico · Suo
Observantiae · Benevolentiae · Que · Pignus
D· L· M·

Pio · Sexto · P· M·

Prospectum · Basilicae

S· Mariae · Portuensis · Ravennae

Apud · Emiliae · Populos · Percelebris

Selectis · E · Marmore · Lapidibus

Simulacris · Que

Elegantioribus · A · Se · Exornatum

Marcus · Castellius · Abbas · Generalis

Congregationis · Lateranensis

Obsequentis · Animi · Ergo

D· L· M·

Pio

Pio · VI· Pont· Max·

Quod

Pro · Sua · Omnium · Ecclesiarum · Solicitudine

Ecclesiam · Hanc · Cathedralem

Ab · Inopia · Et · Squallore · Vindicaverit

Adsignata · Perpetua · Pensione

Ex · Fructibus · Abbatiae · S· Crucis

In · Monte · Tabali · Pisauren· Dioec·

Canonici · Et · Capitulum

Grati · Animi · M· P·

Anno · Domini · MDCCLXXVII·

D·

D· O· M·
Vincentio · Macedonio
Alexandri · Marchionis · Ruggiani · Filio
Patricio · Neapolitano
Praesuli
Ingenii · Animi · Que · Dotibus · Ornatissimo
Qui · Adhuc · Juvenis
Honorum · Cursum · Ingressus
Magnae · De · Se · Expectationi
Cumulate · Satisfecit
Et · In · XIIviratu · Signaturae · Justitiae
Et · Cum · A · Secretis · S· Rit· Congregationis · Esset
Et · Postremo
A · Supplicibus · Libellis · P· M· Clem· XIV·
Tum · Morte · Praereptus · Quam · Pie · Fortiter
Tranquille · Que · Obiit
Fluxis· Humanis· Que · Amissis · Laborum · Praemiis
Ad · Vera · Et · Immortalia · Pervenit
Vixit · Annos · XLVII· Menses · II· Dies · XIX·
Decessit · Die · VII· Maii · MDCCLXXVIII·
Atque · In · Hoc · Templo · Sepeliri · Voluit
Ubi · Primicerii · Munus · Summa · Pietatis
Et · Diligentiae · Laude
Diu · Exercuit
Vespasianus · Eques · Hierosolymitanus
Ex · Testamento · Haeres
Fratri · Benemerentissimo
Non · Sine · Lacrymis · Posuit.

Pio

Pio · Sexto · P· M·
Quod · Nosocomio
Extincti · Ordinis · Sancti · Antonii · Abbatis
Archihospitale · Sanctissimi · Salvatoris
Ad · Sancta · Sanctorum
Pontificio · Diplomate · Subrogaverit
Simulacro · S· Antonii · Cum · Omni · Supellectili
Huc · Translato
Tum · Ingens · Illius · Ordinis · Praedium
Archihospitalis · Latifundium · Intersecans
Eidem · Concesserit
Injuncta · Lege
Pauperes · Ambustos · Perdiligenter · Curandi
Principi · Providentissimo · Beneficentissimo · Que
Ipsius · Piae · Domus · Curatores
P· P·

PER

PER NOZZE

SONETTO.

FRA quanti Dei, Figlj d'un van timore,
Finſe l'antica età, che tanto mente,
Il più propizio Nume, e il più poſſente
(Sia con pace di Giove) io ſtimo Amore.

Amore alma è del Mondo, Amor d'onore
A chi ben l'ode è ſprone, Amor contente
Fa noſtre voglie, Amor l'umana gente
D'ogni altro, e reo martir ſol tragge fuore.

Stolti Poeti Voi, che foſte arditi
Chiamarlo empio Tiranno, e dargli carco
Delle ſtoltezze, e delle voſtre pene.

Mirate, opra del ſuo sì benign'arco,
Sopra . . . . inſieme uniti
Piover dal Cielo ogni più largo bene.

ALL'

ALL' EMINENTISSIMO

SIG. CARD. NERI CORSINI

Che diſſe volerſi fabbricare per ſe ſolo un piccolo ritiro alla Marina d' Anzio

SONETTO.

IN queſto luogo a bel ripoſo eletto,
Che volge il tergo alla Città di Marte;
E che ha dinanzi e d' una e d' altra parte
Del Toſco mare il dilettoſo aſpetto:

In queſto luogo a contemplar ſoletto
Dell' Anzio antico le reliquie ſparte,
Signor, diceſti, io vo' trarmi in diſparte;
E quì ſurga a me ſolo un umil Tetto.

Surſe, ma crebbe ognor di sè maggiore
Per le accoglienze Tue molte, e giocondé,
E ſi fe Villa di Real ſplendore.

Che non legge, nè ſoffre anguſte ſponde
Quell' alta corteſìa, per cui, Signore,
Aſſai Roma ti loda, ed ha ben onde.

So-

Sopra la Villa di Montalto in Frascati così detta, perchè edificata dal celebre Card. Montalto Nipote di SISTO V.

SONETTO

ALL' ECCELLENTISS. SIGNORA
DUCHESSA DI BRACCIANO
Padrona di detta Villa.

Io t'onoro, o regal Villa beata,
Non perchè di giocondo aspetto fuore,
E d'illustri pitture addentro ornata,
Ai Tusculani Colli aggiungi onore;

Ma perchè in te Colei, ch'è del mio core
Alta Regina ha sua sede locata:
Seco è pur leggiadrìa, senno, valore,
E ogn'altro pregio d'anima ben nata.

Quel Sacro Eroe che ti fondò primiero,
Mirandoti dal Regno degli Dei,
Benedice il magnanimo pensiero.

E il suo nome, onde ancor chiamata sei,
Benchè della mia Diva or Tempio vero,
Fama, e luce maggior prende da Lei.

A

A CLEMENTE XIII.

Dallo ſteſſo Autore ſtampato co' Verſi latini nel 1766. nella Raccolta d'Arcadia

SONETTO.

NIuno le paſſion, che in mezzo il core
Fiſſe Natura, trar dalle radici
Potè giammai: Son queſte anzi nutrici,
Chi ben le ſcorge, di virtù, di onore.

Quindi per dolce forza ami, o Signore,
Tua degna ſtirpe: ma i pietoſi uffici
Son volti a far altrui lieti, e felici;
Ed è del noſtro ben ſeme il Tuo amore.

Oggi il Monte Tarpèo ſe 'l vede, e ſente,
Dove chiamaſti dalle Adriache Sponde
Criſandro * a ravvivar le glorie ſpente.

Dunque, Signor, t'allegra (che hai ben donde),
E vedi Roma in Lui drizzar la mente
Già piena di ſperanze alte, e gioconde.

In

* Nome d'Arcadia di S. E. il Sig. Principe D. Abbondio Rezzonico Senatore di Roma.

In occasione di celebrarsi in Velletri la Festa di S. Michele Arcangelo


SONETTO.

O Michel Santo, o vivo e certo Lampo
Del Sommo inaccessibile splendore:
O glorioso illustre vincitore
Del rio Satan nel suo fatale inciampo!

Te non invano a sua difesa, e scampo
Chiamò Castruccio l' immortal Scrittore,
Di nostra Stirpe, e della Patria onore
Nel periglioso Veliterno Campo.

Ond' ei con grato affetto alzar poteo
Ad eternar Tuo nome allor rivolto
Del Tuo gran beneficio alto Trofeo.

Te pur quest' oggi invoca il Popol folto
Contro il da Te già vinto Angelo Reo
In questo Sacro a Te Tempio raccolto.



IN-

INDEX

RERUM MEMORABILIUM

QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

Numerus paginam indicat.

A

B

re-

H

I

me-

Ode-

Pe-

Stuar-

